INSTITUTIONES

JURIS CANONICI

IN TRES PARTES,

AC IN SEX TOMOS DISTRIBUTAE

Quibus vetus & nova Ecclesiae disciplina & mutationum caussae enarrantur

A

DOMINICO CAVALLARIO

JURIS CANONICI ET CIVILIS PROFESSORE CONSCRIPTAE

In hac nova Panormitana Editione accessit

JUS SICULUM ECCLESIASTICUM

SINGULIS QUIBUSQUE JU'IS CANONICI TRACTATIBUS ADCOMMODATUM.

TOMUS V.

PANORMI, TYPIS REGIIS, MDCCXC.

CUM APPROBAT.

SUMPTIBUS ROSARII ABBATE.

INDEX

CAPITUM, & DOCTRINARUM

SECUNDAE PARTIS.

De rebus ecclesiasticis

Qui-

Quae

 Me-

Quae

ciis

Col-

Quid

CA.

Quae

CA-

Spo-

Ec-

Ecclesiae pendebant regibus annua dona.

Ecclesiae exhibent etiam exstraordinaria subsidia.

INSTITUTIONES JURIS CANONICI.

PARS II.

De rebus ecclesiasticis.

CAPUT XXXVII.

De oblationibus.

Ecclesia bonis temporalibus indiget.

§. I. VEntum est ad res ecclesiae temporales, quae usibus ecclesiasticis deserviunt. Nulla profecto societas seu universitas est, cui non sint onera ferenda, & sumtus faciendi, qui absque bonis & reditibus sustineri nequeunt. Etiam ecclesia talibus bonis indiget; inde enim clericis & pauperibus alimenta exhibentur, & vasa & indumenta sacra & reliqua ad exercitium religionis spectantia comparantur. Dum Christus ipse viveret, habuit ecclesia veluti fisci speciem, in quem bona universitatis, quae tum merae oblationes erant, conferebantur, & inde Christi

& apostolorum necessitatibus consulebatur, & pauperibus praestabantur alimenta. Sunt autem res ecclesiasticae temporales multiplicis generis; praecipue vero in tres classes referuntur, oblationes nempe, fundos seu res immobiles, & decimas & primitias.

Explicatur vox oblatio.

§. II. Et ad primum quod spectat, oblationis nomine generaliter venit alicujus rei non petitae spontanea largitio: quae si fiat homini, donatio dicitur; si Deo magis proprie *oblatio*, quia quum Deo, utpote omnium domino, nihil dari queat, maluerunt veteres eam largitionem vocare oblationem. Itaque ubi de rebus ecclesiae temporalibus agitur, oblationes generatim sunt res omnes sive mobiles sive soli, quacumque tandem ratione Deo elargitae, sive pertineant ad sacrificii usum, sive clericorum & pauperum alimentis destinatae sint. Quo sensu oblationis nomine Ulpianus usus est, dum docet, valere quod maritus *ad oblationem Dei uxori donavit* (*a*), hoc est ut donum Deo detur, seu consecretur. Sed in praesenti strictius vocem oblationis accipimus, quatenus denotat res mobiles & munera, quae ecclesiae extra sacrificium & quae altari inter missarum sollemnia inferebantur.

Oblationes ad altare.

§. III. Tria oblationum genera statui possunt: aliae nempe tempore sacrificii inferebantur altari; aliae ad episcopi domum, seu in gazophylacium deferebantur; & demum aliae fieri consue-

(a) *L. V. §. 21. D. de donat. inter virum & uxor.*

fueverunt in adminiſtratione ſacramentorum, in exſequiis defunctorum & in reliquis ſacris officiis. Et ad altare quidem communicantes in eucharistia offerebant panem & vinum: quae oblationes ab agapis initium habuiſſe videntur; in agapis enim edulia chriſtiani conferebant, & in communi manducabant; eaſque euchariſtia excipiebat. Inde quum ab agapis euchariſtia ſejuncta ſit, retentus eſt mos panem & vinum ad altare offerendi, quae euchariſtiae erant elementa. Praeterea eo loci offerebantur oleum & incenſum, & novae ſpicae & uvae, quod apoſtolici ſic dicti canones habent (*a*). Et tempore dationis baptiſmi ad altare etiam mel & lac deferebantur (*b*), mos enim erat poſt baptiſmum illuminatis particulam lactis & mellis ad infantiae ſignificationem deguſtandam praebere. Ceterae oblationes vel mittebantur ad epiſcopum, vel in alio eccleſiae loco deponebantur, etſi in aliquibus eccleſiis in primis Gallicanis cujuſvis generis oblata & munera ad altare videntur illata (*c*). Communicantes omnes, qui poterant, etiam monachi (*d*), panem & vinum ad altare offerre tenebantur: & turpe erat divites venire in eccleſiam ſine oblatione, & partem de ſacrificio, quod pauper obtulerat, ſumere, quod Cyprianus docet (*e*). Ex oblatis pane & vino euchariſtiae elementa deſumebantur, & reliqua alendis clericis & pauperibus inſerviebant.

A 2 *Obla-*

(a) *Can. Apoſtol. IV.* (b) *Can. XXXVII. C. Afric.* (c) *Conc. Aurelian. I. can. XVI. & ſeq.* (d) *Hieronym. ep. I. ad Heliodor.* (e) *Cypr. de opera & eleemoſyna.*

Oblationes extra altare.

§. IV. Secundum genus oblationum erat earum, quas christiani singulis mensibus vel hebdomadis vel diebus, prout poterant, & volebant, in ecclesiae usum elargiebantur. Ab ipso apostolorum tempore frequentes fuerunt hujus generis oblationes, eaeque deferebantur vel ad episcopi domum vel in gazophylacium. Sane secundo saeculo in ecclesia arcae quoddam genus erat, in quam fideles pro arbitrio & pietate sua modicam stipem apponebant, quod Tertullianus tradit (*a*). Et posteriori aetate his oblationibus recipiendis institutum fuit gazophylacium; statuunt enim canones Africani, oblationes diffidentium fratrum nec in sacrario, nec in gazophylacio recipiendas (*b*). Similiter Augustinus de ecclesiae gazophylacio agit, ubi oblationes in usum clericorum fiebant: *omnes*, inquit (*c*), *quod vultis, offerte ... gazophylacium attendit, & omnes bene habebimus*. Videtur gazophylacium istud fuisse peculiaris in exedris locus asservandis ecclesiae opibus addictus, non secus ac scevophylacium, quod domus erat, ubi pretiosa ecclesiae vasa condebantur.

Oblationes in sacramentis suscipiendis.

§. V. Erat quoque tertium genus oblationum, quas christiani in suscipiendis sacramentis, in exsequiis mortuorum, in dedicationibus ecclesiarum aliisque sacris officiis pro pietate sua elargiebantur. Quarto saeculo adeo sollemnis erat mos in

(a) *Tertull. apol. XXXIX.* (b) *Conc. IV. Carthag. XCIII.* (c) *August. serm. I. de divers.*

in baptiſmo offerendi, ut multi ex pauperibus illuminari differrent, quod munus offerendum non haberent; *ubi eſt munus, quod baptiſmum offeram*? ſic eos loquentes Gregorius Nazianzenus (a) inducit. Interim non defuerunt canones, qui in baptiſmo nec ſponte oblata ſuſcipi permiſerunt. Sane ſynodus Illiberitana vetuit, ne de more catechumeni tempore baptiſmi nummos in concham mitterent, *ne ſacerdos, quod gratis accepit, pretio diſtrahere videatur* (b). Cui regulae non malum, ſed mali ſpecies dedit occaſionem. Extra Hiſpaniam caſtitas iſta ignota fuiſſe videtur: & in ipſa Hiſpania lapſu temporis in baptiſmo ſponte oblata accepta ſunt (c). Generatim in hujus generis oblationibus id eccleſia edixit, ſi quid ſponte offerretur, recte accipi, nefarias autem eſſe omnes exactiones & pignora, quae miniſtri ob danda ſacramenta extorquerent. *Oblationes poſt datam chriſtianis pacem uberiores.*

§. VI. Primis tribus ſaeculis ex oblationibus ad altare vel extra illud factis fere eccleſia vixit; nec enim tum bona immobilia jure poterat poſſidere. At pace chriſtianis data etſi eccleſiae praedia multa adquiſierint; non tamen ceſſarunt oblationes, quin potius factae ſunt auguſtiores, quod divites multi, & in primis imperatores ad Chriſtum converſi, ampla munera eccleſiis offerre coeperunt. Certe in eccleſia Romana ſatis amplae tempore Damaſi erant oblationes: etenim Am-

(a) *Gregor. Nazianz. orat. XI, de bapt.* (b) *Conc. Illiberit. can. XLVIII.* (c) *Conc. Bracar. II. can. VII. edit. Crab.*

Ammianus Marcellinus ethnicus historicus etiam ab oblationibus fastum pontificum, quasi qui matronarum oblationibus ditarentur, descripsit (a). Et fortasse ejusdem ecclesiae oblationes inhiabat Praetextatus consul designatus, qui Damaso papae ad christianam religionem invitanti per jocum respondit, *facite me Romanae urbis episcopum, & ero protinus christianus* (b). Nec minus amplae erant oblationes in reliquis ecclesiis, praesertim Hierosolymitana, cui christianus orbis ad adoranda Christi vestigia confluens, religiosum pendere tributum videbatur, quod Hieronymus tradit (c). Et quamvis clerici & monachi lapsu temporis a pristina sanctitate descivissent, & ecclesiae & monasteria amplissimos fundos possiderent; tamen oblationes perseverarunt, quod iis animam & peccata sua redimere christiani cupiebant. Praesertim vero ingens oblationum copia ecclesiis illata, ubi sanctorum reliquiae condebantur, & monasteriis, quae sanctitatis laude florebant, & miraculis celebrabantur (d). Hac copia oblationum christiani minus religiosi illecti basilicas ea conditione exstruebant, ut sibi pars aliqua oblationum cederet: quem perversum morem synodus Bracarensis II. perstrinxit (e). *Eucharisticae oblationes lapsu temporis cessarunt.*

§. VII. Ceterum non cujusvis generis oblatio-

(a) *Ammian. Marcell. lib. XXVII.* (b) *Hieronym. ep. XXXVIII al. LXI. ad Pammach. advers. error. Joan. Hierosolym.* (c) *Hieronym. ep. cit.*

(d) *Confer. Murator. diss. LXVII. antiq. Italicar.* (e) *Can. X. D. 1. de consecr.*

tionum usus in ecclesia perseveravit; nam eucharisticae panis & vini a populo factae oblationes sensim desierunt, prout christianorum communio rarior facta est. Tempore Chrysostomi in ecclesiis Orientalibus rari in sacris mysteriis communicabant (a), atque ita pauci panem & vinum ad altare videntur obtulisse. Stabat adhuc ea aetate in quibusdam ecclesiis Occidentalibus quotidiana communio (b); at inde sensim rarior evasit. Hinc synodus Matisconensis II in Gallia saeculo sexto doluit, non frequentari oblationes & cultum altaris religiosissimum torpere: cavitque, ut fideles quolibet die dominico panem & vinum ad altare deferrent (c). Inde panis azymus, qui clericorum studio parabatur, ad eucharistiam usurpatus est. Et ita christiani ad altare loco panis farinam offerre coeperunt, si Honorius Augustodunensis vera tradit (d). Illud certum est, seculo XI loco panis & vini oblatos denarios, ex quibus originem habet hodiernum missae honorarium. Ita desierunt panis & vini ad altare eucharisticae oblationes, & honoraria missarum ante vel post eas illi tantum offerunt, qui pro se speciatim missam celebrari petunt. Et quamvis posteriori aetate praesertim in pagis servatus fuerit mos inter missarum sollemnia aliquid offerendi; tamen oblationes istae post evangelium non tempore oblatio-
nis

(a) *Chrysost. hom. XVII. in ep. ad Hebr.*
(b) *Confer. Card. Bona lib. II. rer. liturg. cap.* 17. *num.* 2. (c) *Conc. Matiscon. II. can.* 4. (d) *Honor. Augustodun. in gemma animae lib. I. cap.*66.

nis fiunt, nec inde elementa fumuntur ad eucharistiam. Interim in nova disciplina multae particulares synodi defuetum ad altare offerendi morem instaurari decreverunt (*a*); & dubium non est, eum ecclesiae menti convenire, quae etiam hodie in precibus eucharisticis supponit oblationes ad altare fieri.

A quibus ecclesia recipiebat oblationes.

§. VIII. Oblationes autem cujuscumque generis essent, non ab omnibus ecclesia suscipiebat, sed tantum ab iis, quibus communicandi jus erat. Erant nempe oblationes, praesertim quae fiebant ad altare, signum ecclesiasticae communionis, atque hinc eorum, qui non communicabant, oblationes respuebantur. *Episcopos placuit*, inquit synodus Illiberitana (*b*), *ab eo, qui non communicat, munera non accipere debere*. Itaque excommunicati, catechumeni, poenitentes, energumeni & generatim peccatores omnes oblationum faciendarum jure carebant, & si quas fecissent, ecclesia non recipiebat. Consistentes ipsi, quamvis in precibus communicarent, non tamen ad altare offerre permittebantur: & propterea in antiquis canonibus in precibus sine oblatione communicare dicuntur (*c*). Quin si haeretici antequam in haeresim laberentur, aliquid ecclesiae intulissent, id eis post lapsum restitui solebant, idque de Marcione Tertullianus re-

(a) *Confer. Espen. part. II. tit. 5. cap. 4. n. 17. seqq.* (b) *Conc. Illiber. can. XXVIII.*

(c) *Conc. Nicaen. can. XI., conc. Ancyr. can. IV.*

refert (*a*), nec ulla dignitatis offerentis ratio habebantur: etenim etiam ab ipsis imperatoribus, qui scelus aliquod perpetrassent, oblata reiiciebantur (*b*). Quod si Valentis Ariani dona Basilius M. admisit (*c*), id plane fecit vir sanctus, ne magis imperatoris animum exasperaret: & re ipsa hac Basilii humanitate persecutionum fluctus omnes detumuere (*d*) Interim si poenitentes ante reconciliationem inopini absolutionis cupidi morerentur, eorum nomine factas oblationes pleraeque ecclesiae recipiebant (*e*): qua receptione in pacem & communionem admissi censebantur. Immo synodus Aurelianensis II oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interemti, recipiendas censuit, modo sibi ipsi manus non intulerint (*f*): idque fortasse placuit, quod scelesti isti potuerint momento ipso mortis suorum scelerum dolore & poenitentia concuti, atque ita communione non indigni visi sunt.

Oblationes erant spontaneae.

§. IX. Porro oblationes erant spontaneae largitates, nec aliquis ad eas cogebatur: quae est antiquissima ecclesiae disciplina. Sane de oblationibus menstruis & diurnis, quae extra altare nec ex caussa sacramentorum fiebant, testantur Justinus martyr & Tertullianus, copiosiores menstrua vel alia die pro arbitrio suo modicam sti-

(a) *Tertull. de praescript. cap. XXX.* (b) *Ambros. ep. XXX. ad Valentinian.* (c) *Naziànzen. orat.XX. de laudib. Basilii*. (d) *Confer. Thomass. par. III.lib.1. cap.12.* (e) *Conc. Arelat.II. can.12. Tolet. XI. can.12.* (f) *Conc.Aurelian.II.can.XIV.*

pem intulisse (*a*). Nec alterius naturae erant oblationes, quas in susceptione sacramentorum & sacris officiis fideles elargiebantur. Semper enim docuit ecclesia, gratis conferenda sacramenta & reliqua sacra officia administranda, tantumque sponte oblata accipi permisit, quod sexcentis congestis canonibus Christianus Lupus & Thomassinus adstruunt (*b*). Quamvis non defuerint canones, qui in baptismo nec sponte oblata suscipi permiserint, ne sacerdos quod gratis accepit, pretio distrahere videretur. Sed eucharisticae panis & vini oblationes necessitate quadam continebantur: nam turpe videbatur, divites ad altare non offerre. Certe Cyprianus in opulentam quamdam feminam invehitur, quae in ecclesiam *sine sacrificio*, hoc est oblatione veniebat (*c*). Et Augustinus, *oblationes, quae in altari consecrentur, offerte: erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit* (*d*). Quin Hieronymus etiam monachos ad altare offerre adstrictos fuisse docet (*e*). Panis & vini ad altare oblationes spectabant ipsum sacrificium, quod christiani omnes suo modo offerre censebantur, & de eo omnes communicabant; ut proinde nefas videretur eo spectantes oblationes ab omnibus, qui poterant, non offerri.

Quae

(a) *Justin. martyr. apol. II.*, *Tertull. apol. cap. XXXIX.* (b) *Lupus diss. de simo. cap. VII. seq. tom. 4. oper. E. V.*, *Thomass. part. III. lib. I. cap. 49. seqq.* (c) *Cypr. de opera & eleemosyna.* (d) *August. serm. CCXV. de tempore.* (e) *Hieronym. ep. 1. ad Heliod.*

Quae oblationes versae sunt in pias consuetudines.

§. X. Verum enimuero oblationes, quae in administrandis sacramentis, in exsequiis & in ceteris sacris functionibus fiebant, quin & stipendia missarum tandem in laudabiles consuetudines abierunt. Coepit post saeculum decimum in aliquibus ecclesiis nova ista disciplina, tum in concilio generali sub Innocentio III. generatim probata est: in eo enim statutum, libere conferenda christiana sacramenta & reliqua sacra officia; teneri vero fideles ad consuetas oblationes, & ab episcopo cogi, si offerre detrectent (*a*). Ea tempestate bona paroeciarum etiam ipsae decimae maximam partem in laicos, monachos & canonicos translatae erant: & ob parum castos clericorum mores christiani parum liberales erant in ecclesias paroeciales. Hinc clerici vix habebant, unde viverent: & quia longe distabant ab apostoli moribus, qui noctu manibus suis operabatur, ut sibi victum quaereret, ne fidelibus oneri esset; necessitas ipsa fecit, ut piae offerendi consuetudines probarentur. Videtur vero ecclesia in necessitatem vertisse pias offerendi consuetudines ob duritiem cordis eorum, qui bona ecclesiarum possidentes induci non potuerunt ad plenam sustentationem parochis adsignandam. Etenim multi canones saeculi XII. in primis vero synodi Turonensis & Lateranensis sub Alexandro III vetant pro exsequiis & sepultura, chrismate & oleo sacro aliquid exigi, damnantque etiam exigendi consuetudines, quod mala quaelibet lon-

(a) *Cap. XLII. ex de simonia.*

go usu ingravescant (*a*). At interim qui parochi vivebant? Eos sinebant esurire bonorum ecclesiasticorum possessores. Itaque temporum durities ab ecclesia extorsit, ut antiquam spontaneae in baptismo & aliis sacramentis oblationis consuetudinem in legem verteret & necessitatem. Ceterum ne viderentur altaris ministri pro ipsis sacramentis oblationes & temporalia petere, statutum est, ante administrata sacramenta nihil petendum.

Judicium de piis consuetudinibus.

§. XI. Ita nata jura paroecialia, quae non tamquam pretium laborum, aut pro ipsis rebus sacris exiguntur, sed potius media sunt, quibus parochi, qui altari serviunt, de altari vivant. Qua ratione acceptae piae offerendi consuetudines nihil mali continent, non secus ac decimae, quae etiam necessario penduntur ad clericos alendos. Sed satius fuisset, has consuetudines non inducere, aut inductas abolere, ubi primum ecclesiae aliis reditibus auctae sunt. *A cunctis ecclesiae disciplinae dilectoribus optari*, inquit Christianus Lupus (*b*), *ut ecclesia in avita castitate & sanctimonia mansisset*, quae erat sponte oblata recipere, aliquid vero exigere interdicebat. Est enim quantum fieri potest a ministris ecclesiae amovenda omnis avaritiae turpisve quaestus suspicio & occasio; qua ratione olim Illiberitani patres in baptismo nec sponte oblata accipi permiserunt (*c*). Et praeterea ubi in sacramentis susci-

(a) *Cap. VIII. & IX. ex. eod.* (b) *Lupus diss. de simonia cap. VII. tom. 4. oper. E. V.* (c) *Conc. Illiberit. can. XLVIII.*

ſcipiendis aliiſque ſacris officiis chriſtianos neceſſario aliquid offerre oportet, pauperes a ſacris diſtrahuntur. In nova diſciplina Tridentini patres nec ſponte oblata accipi quocumque titulo in ordinationibus permiſerunt (a). Et S. Carolus vetuit, ne quis presbyterorum pro ſacramentorum adminiſtratione ne obtentu quidem eleemoſynae quidquam acciperet, idque ad evitandam avaritiae ſuſpicionem (b). Ceterum ubi vigent piae offerendi conſuetudines, eae ſervandae ſunt, ſed parochi conſuetis oblationibus contenti, eas nec augere, nec ad alia ſacra extendere debent. Ut vero hac de re lites & turpia pacta evitentur, locorum canones modum finemque his oblationibus fecerunt. Petere autem vetantur parochi ante ſacra adminiſtrata, & dum petunt omnis turpis lucri ſuſpicionem evitare debent, nec a pauperibus aliquid licet exigere, ne illi a ſacris diſtrahantur.

Oblationes debentur eccleſiae paroeciali.

§. XII. Oblationes autem omnes etiam quae ſponte fiunt, ad eccleſiam paroecialem ex nova diſciplina ſpectant; nam veteri inſtituto, non ſecus ac reliqua bona eccleſiaſtica, in commune eccleſiae aerarium confluebant, & epiſcopi auctoritate in clericos, pauperes & reliquos eccleſiaſticos uſus tribuebantur. Inde placuit ſingulis titulis proprios reditus adſignare & oblationes eccleſiae paroeciali ceſſerunt ob ſpiritualem chriſtianorum curam, quae parochis demandata eſt (c). Id

(a) *Trid. ſeſ. XXI. de ref. cap.* 1. (b) *Giuſſan. vit. S. Caroli lib. VIII. cap* 4. (c) *Cap. IX. ex. de his quae fiunt a praelato ſine conſenſu capit.*

Id autem locum habet non solum si fideles in ecclesia paroeciali, verum etiam si in alia inferiori capella aut loco intra paroeciae fines oblationes faciant (*a*), nisi de contraria offerentium voluntate constet. Scilicet fideles offerre creduntur ob curam spiritualem, quam de se habet ecclesia: quae praesumtio oblationes ecclesiae paroeciali addicit. Cessat autem haec praesumtio, quando constat, aliam esse offerentium voluntatem, & oblationes illis locis seu usibus impenduntur quibus impendi offerentes intelligunt edicuntque (*b*). Ita oblationes monasteriis factae monachis, & quae in usum fabricae dantur, fabricae cedunt. Porro oblationes parociae non adquiruntur, ubi consuetudo aut privilegium eas alii ecclesiae aut pio loco defert.

CAPUT XXXVIII.

De praediorum ecclesiasticorum adquisitione.

An ecclesia primis saeculis praedia possederit.

§. I. QUo usque ethnici in christianam religionem desaevierunt, ecclesiae reditus omnes fuerunt in mobilibus; quae fideles pro pietate sua in dies offerebant; res vero immobiles ferme nullae fuerunt. Tum ecclesia ex sententia juris civilis collegiis illicitis accensebatur, quibus nec donare, nec hereditates relinquere jus

(a) *Confer. Barbosa de off parochi cap. XXIV., & Fagnan. in cit. cap. IX. n. 4.* (b) *Cardin. de Luca discur. XIX. de decim.*

jus erat (*a*). Ipsa quoque ecclesia parvi faciebat bona immobilia, quod christiani rerum consummationem proximam credebant. Nec a christianis Cristus heres poterat institui; quia, ut auctor est Ulpianus, dii heredes institui non poterant, praeter eos, quos leges instituere concessissent (*b*). Romani autem Christum inter deos non receperunt, tantum abest, ut ei hereditates relinqui posse permiserint. Et si sub nomine Urbani papae, qui anno CCXXIV. pontificatum iniit traditur, episcopis & fidelibus ipsis tandem in mentem venisse, expeditius & consultius fore fundos non vendere, sed ecclesiae tradere, qui perennes eleemosynarum fontes deinceps essent (*c*); decretalis ista Mercatoris sive peccatoris figmentum est, ex moribus posterioris aetatis consarcinata. Interim post tertii saeculi medietatem plures ecclesiae bona immobilia possidere coeperant, quod constat ex Constantini M. edicto, quo ecclesiis domus, possessiones, agri, horti, quibus eas persecutionum furor spoliaverat, restituti sunt (*d*) Etenim in summa illa & longa imperii confusione post Valeriani captivitatem continuata, non multum valebant leges, atque ita facile fuit ecclesiis fundos adquirere (*e*).

Ecclesia fundos adquisivit per testamenta.

§. II. Sed post pacem christianis datam ecclesia

(a) *L. VII. C. de heredib. instituend.* (b) *Ulpian. fragm. tit. XXII. §. 6.* (c) *Can. XVI. C. 12. q. 1.* (d) *Ap. Euseb. lib. X. cap. 5. & lib. II. de vita Constantini cap. 37. & 39.* (e) ***Confer. Paulus Sarpi materie benefiziarie n. IV.***

sia fundos magna copia adquisivit, idque per testamenta & legitimas hereditates & variis titulis inter vivos. Et quod spectat ad testamenta, primus Constantinus M. ecclesiam inter collegia legitima recensuit, eique dedit jus adquirendi ex testamento sive hereditates sive legata. *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo catholicae* (ecclesiae) *venerabilique concilio decedens bonorum, quod optaverit, relinquere* (a). Hac lege tantum ecclesiae catholicae jus hereditates & legata capiendi Constantinus dedit, non haereticorum conventiculis: quin postea per Honorii legem ad ecclesiam catholicam translata sunt bona, quae haeretici conventiculis suis dedissent (b). In Romano imperio ferme sua semper vis legi Constantini constitit (c). Et gentes quae ex ruinis Romani imperii in Occidente constituerunt nova regna, eamdem legem confirmarunt. Certe apud Langobardos cuique permittebatur res suas sacrosanctis ecclesiis & monasteriis relinquere (d): quod illi *judicium pro anima* dicebant. Quin eodem Langobardico jure minoribus infirmis datum ut pro anima sua de rebus suis judicarent (e). Minores apud Langobardos erant, qui decimum octavum aetatis annum non excesserant, iisque vetitum erat res suas alienare. Legibus istis piorum hominum liberalitas excitata est, & eorum testamentis integrae hereditates vel legata ecclesiis accesserunt.

Cle-

(a) *L. I. C. de sacros. eccles.* (b) *L. LII. C. T. Th. de haeret.* (c) *Confer. Bingh orig. eccles. lib. V. cap.* 4. §. 6. (d) *Lib. I. leg. Longobard. cap.* 6. (e) *Lib. IV. eod. cap.* 1.

Clerici aliquando debebant ecclesiam heredem instituere.

§. III. Pendebat autem a fidelium voluntate & religione aliquid testamento ecclesiis relinquere: qua libertate etiam clerici utebantur. Hinc ex antiquae disciplinae regulis distinctas esse oportebat res clericorum & ecclesiae, quarum illas poterant clerici pro arbitrio relinquere, de his vero disponere vetabatur; erant enim bona intuitu ecclesiae quaesita extra episcopi patrimonium, & ad ipsam ecclesiam pertinebant: quam disciplinam & canones & leges civiles proponunt (a). At in aliquibus ecclesiis necessitas quaedam clericis imposita est, ut deficientibus cognatis bona sua ecclesiae relinquerent. Et quidem patres concilii III Carthaginiensis clericos admonuerunt, ut de rebus propriis faciant, *quod eorum proposito congruit* (b), hoc est, eas ecclesiae vel pauperibus relinquant; nam id clericorum proposito congruere videbatur. Inde synodus Agathensis in Gallia anno DVI celebrata ultra monitum processit, & necessitatem episcopis videtur imposuisse, ut ecclesiam heredem instituant, *ut episcopus; qui filios aut nepotes non habuerit, alium quam ecclesiam heredem non relinquat*, prout canon iste apud Gratianum prostat (c). Quam regulam Carolus M. confirmavit, *ut unusquisque presbyter res, quas post diem consecrationis adquisierit proprias, ecclesiae relinquat*.

(a) *Can. apostol. XL., conc. Antioch. can. XXIV. L. XLII. §. 2. C. de episc. & cleric.* (b) *Can. I. C. 12. q. 3.* (c) *Can. XXIV. C. 12. q. 2.*

Ecclesia adquisivit ab intestato.

§. IV. Porro etiam ab intestato hereditates & fundos ecclesiae & monasteria adquisiverunt. Cautum est enim Theodosii junioris lege, ut si qui clerici vel monachi intestato decessissent nullis relictis heredibus sive civili sive honorario jure vocatis, eorum bona propria sacrosanctae ecclesiae vel monasterio, cui fuerant addicti, adscriberentur, salvis tamen dominorum, patronorum & curiae juribus (a). Qua lege jus idem, quo cetera collegia utebantur, ecclesiis & monasteriis donatum est: jure enim Romano si quis intestato nullis relictis heredibus decessisset, bona collegiis, quibus defuncti erant adscripti, adsignabantur. Itaque per Theodosium jus vetus abrogatum est, quo bona vacantia clericorum aut monachorum fisco, atque adeo petitoribus, qui ea a fisco impetrarent, adquirebantur: eaque ecclesiis, aut monasteriis, quibus illi erant dedicati, translata sunt (b). Comprehendit vero Theodosius, & clericos & monachos, qui testamentariis & legitimis heredibus deficientibus decederent; nam tum monachi rerum suarum dominium retinebant, etsi earum fructus omnes monasterio cederent, atque adeo suos heredes ab intestato, & ex testamento habebant, nisi illarum dominium, antequam monachi fierent, abdicassent.

Et dominationibus inter vivos.

§. V. Magna quoque praediorum & rerum mobilium copia ecclesiis & monasteriis accessit do-

(a) *L. I. C. Th. de bon. clericor.* (b) *Confer. Jac. Gothof. in cit. l.*

donationibus inter vivos. Habebant autem istae donationes plura singularia. In primis aliae donationes ante Justinianum absque insinuatione tantum valebant usque ad ducentos solidos (*a*); at donationes ecclesiis factae, ut & aliae ad pias caussas, etiam absque insinuatione usque ad quingentos solidos ratae erant (*b*). At hoc donationum ad pias caussas privilegium cessasse videtur, ubi Justinianus statuit, ut omnes donationes usque ad quingentos solidos sine insinuatione valerent (*c*). Porro ob solam donationem ecclesiae factam, aut hereditatem, aut fideicommissum relictum ab Justiniano data est actio in rem, sive vindicatio, etiamsi nulla traditio intervenisset (*d*), idque quia dominium ipso jure sine ulla traditione, quae alias necessaria est, in ecclesiam transfertur, quod Dionysius Gothofredus (*e*) animadvertit. Vindicatio quoque rerum ecclesiis donatarum sive relictarum longissimo vitae hominis tempore, hoc est centum annis eodem Justiniani jure praescribebatur (*f*), sed postea novella lege id spatium ad annos quadraginta redactum est (*g*).

Non omnes hereditates & donationes episcopi admittebant.

§. VI, Quamvis autem publicis legibus permitteretur, ut fideles testamento vel largitioni-

 bus

(a) *L. XXXIV. C. de donationib.* (b) *L. XIX. C. de sacros. eccles.* (c) *L. XXXVI. C. de donationib.* (d) *L. XXIV. C. de sacros. eccles.* (e) *Dionys. Gothof. in cit. l. XXIV.* (f) *Cit. L. XXIV.* (g) *Novel. CXXXI. cap. 6.*

bus inter vivos bona sua in ecclesias effunderent; non tamen meliores episcopi hereditates adibant, vel donationes acceptabant, quibus filii & alii cognati bonis sibi debitis fraudarentur. Inhumanitas potius quam pietas esse videbatur filios exheredare, & ecclesiam heredem instituere, aut effusioribus oblationibus rem omnem familiarem consumere. *Quicumque vult*, inquit Augustinus (*a*), *exheredato filio, heredem facere ecclesiam, quaerat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, immo Deo propitio neminem inveniet*. Et re ipsa Augustinus eorum hereditates recusavit, quibus erant liberi, cognati, vel adfines, quod Possidius testatur (*b*). Sed summa fuit aequitas Aurelii episcopi Carthaginiensis. Quidam abiecta filiorum spe ecclesiae Carthaginiensi sua omnia retento sibi ususfructu, donaverat: inde nati sunt ei filii, & Aurelius bona omnia ultro restituit, etsi suae potestatis esset, ut non redderet, sed *jure fori non jure poli*, ut loquitur Augustinus (*c*). Non enim Romanae leges rescindebant donationes, quod donantibus inde filii nati dicerentur (*d*). Quin quod hereditates litium laqueis implicabant, sanctiores episcopi non adeo eas curabant, sed potius cupiebant, ut patresfamilias Christum in numerum filiorum cooptarent, eique virilem relinquerent (*e*). Interim non omnes clerici ipsa Augustini aetate tanta religione praediti erant: at deinceps

(a) *August. serm. XLIX. de divers.* (b) *Possid. vit. August. cap. XXIV.* (c) *August. cit. ser. XLIX.* (d) *Confer Vinnius in* §. 2: *instit. de donationib.* (e) *August. loc. cit.*

ceps moribus in pejus delapsis ferme omnes effusae largitates, quibus nihil liberis vel propinquis relinqueretur; acceptae. Hinc Carolus M. edixit, clericos effusas hujusmodi oblationes non admittere, & si admitterent, synodali vel imperiali sententia coërceri (a).

Fideles ecclesiis dant ad Dei gratiam obtinendam.

§. VII. Magna praediorum & mobilium copia ecclesiis & monasteriis per hereditates & donationes accessit; at adquisitiones istae factae sunt uberiores, postquam invaluit doctrina, regnum caelorum obtineri largitionibus in ecclesias factis. Ex veteribus Salvianus summo zelo & incredibili vehementia promovet inculcatque in ecclesias & loca pia liberalitatem, eique ad remissionem peccatorum & ad promerendum Deum magnam vim tribuit, ubi cum lacrimis & dolore fideles bona sua Deo offerunt (b). Sensim haec doctrina latius producta est, quin creditum est ab incautis, etiam sine lacrimis ad Deum sibi promerendum valere in ecclesias & monasteria effusas largitates. Eo traducta est sententia Jesu Christi, qua centuplum & vita aeterna iis promissa est, qui propter Deum terrena reliquissent (c); quasi esset omnino idem exui omnibus rebus suis & sequi Jesum Christum, & bona sua in morte ecclesiis & monasteriis relinquere. Hinc apud Langobardos ad pias caussas testari vocabatur *pro anima judicium*. Hac constabilita sententia fideles inter vivos

(a) *Lib. I. capitul. cap.* 89. (b) *Salvian. lib. I. advers. avar.* (c) *Confer. Murator. diss. LXVII. antiq. Italicar.*

vos & praesertim instante morte ingentia praedia & integras hereditates in ecclesias & monasteria transtulerunt. Et reapse mediis saeculis fere omnes donationes & testamenta in pias caussas his formulis concepta sunt, *pro salute animae meae*, *pro redemtione animae*, *in remedium aeternae salutis*. Et quoniam paene omnes morti proximi pro anima sua aliquid ecclesiis relinquebant; hinc videtur invaluisse, ut si quis intestatus decederet, episcopus loci pro illo testaretur in piam caussam, atque ita eleemosynarum quantitatem, quam defunctus probabiliter reliquisset, finiret: qui mos in Anglia, Gallia & apud nos servatus est.

Artes clericorum & monachorum ad res quaerendas.

§. VIII. Piis quoque clericorum & monachorum machinis & fraudibus illecti funt fideles ad ecclesias & monasteria locupletanda. Ex mente ecclesiae tantum voluntariae oblationes, quae religiosa circumspectione offeruntur, acceptandae sunt. Sane non est ecclesiae, quin nec clericorum, divitias & opes coacervare, multo minus piis fraudibus incautos rebus suis spoliare. At ab hac ecclesiae doctrina multi ex clericis & monachis desciverunt & variis artibus christianos adorti sunt, eosque impulerunt (saepe etiam in cognatorum detrimentum), ut bona sua ecclesiis & monasteriis elargirentur. Certe quosdam sui temporis monachos Hieronymus (a) ita describit: *alii nummum addunt nummo, & marsupium suffocantes, matronarum opes venantur obsequiis, sunt ditiores monachi*

(a) *Hieronym. in epitaph. Nepotiani.*

chi, *quam fuerant saeculares*. Multo distinctius Carolus M. depingit artes monacorum ad temporalia extorquenda: dum asserit, suadere caelestis regni beatitudinem, comminari aeternum inferni supplicium & sub nomine Dei aut cujuslibet sancti divites & pauperes ad bona extorquenda adoriri (*a*). His artibus ingens fundorum copia ecclesiis & monasteriis quaesita est: nam quisque, praesertim dum mors instat, de caelesti regno sollicitus esse solet, & quibus potest modis nititur sibi Deum promereri. Ceterum peccabant quidem clerici & monachi isti, at saepe ignorantia, non malitia; nam credebant, religionis opus esse ecclesias & monasteria quibuscumque demum artibus, etiam filiis exheredatis, ditescere. Nec istae piae artes posterioribns saeculis cessarunt: etenim S. Bonaventura & Matthaeus Parisiensis veluti heredipetas multos ex mendicantibus describunt (*b*).

Adquisitiones occasione clericalis & monasticae vitae.

§. IX. Multa quoque bona & latifundia in ecclesiias & monasteria confluxerunt ex divitum clericali & monastica vita. Nam plerique eorum dum se altari aut monasterio dedicabant, bona sua in ecclesias & monasteria transferebant. Cavent pleraeque regulae monasticae, ut qui ad monachos transeunt, ante de rebus suis disponant, easque parentibus, pauperibus, vel mona-

(a) *Carolus M. capitul. an. IↃCCCXI.* (b) *S. Bonavent. ep. ad provincial.*, *Matth. Parisiensis ad an. CIↃCCXLIII.*

nasterio tribuant (a): monasticae autem vitae candidati de rebus suis disponentes, dubio procul monasterii, in quod erant ingressuri, non obliviscebantur. Quin etiam ubi de more veteris disciplinae parentes monasteriis filios suos offerebant, simul monachis praedia aliqua elargiebantur, quod pluribus productis chartis Muratorius (b) illustrat. In aliquibus vero monasteriis in more erat positum, ut qui ad monachos transibant, tres partes rerum suarum facerent, quarum unam pauperibus, alteram familiae, tertiam monasterio tribuerent. Quod si ante monasticam vitam de rebus suis monachi non disposuissent, eae tacito jure ad monasterium transibant, modo filii exstarent nulli; nam filiis exstantibus etiam in sancto proposito poterant monachi legitimam portionem illis adsignare, reliquum vero ad monasterium pertinebat; aut si mallent integra bona filiis tribuere, virilem partem monasterio debebant reservare; si vero ante vita excederent parentes, quam liberis & monasterio res suas parti rentur, filii quidem tantum legitimam portionem consequebantur, reliquis monasterio bonis omnibus cessuris; quae omnia Justinianus statuit (c), at in conventu, aut suasu monachorum. Hinc intelligitur, cur antiqui monachi solliciti fuerunt ad persuadendos & alliciendos divites ad monasticam vitam. Quoniam vero turpe erat ob temporalia lucra clericatum aut monasticam vi-

(a) *Reg. Bened. cap. LVIII.*, *reg. Caesarii cap. IV.* (b) *Murator. diss. LXVII. antiq. Italic.* (c) *Novel. CXXIII. cap. 38.*

vitam divitibus inculcare, synodus Cabilonensis II anno ıↄccccxv poenitentiae canonicae subjecit episcopos & abbates, qui bona temporalia inhiantes, allectos homines in clericos aut monachos tonderent, subrepta autem bona heredibus restituenda statuit (*a*). Et Lodovicus II. imperator cavit, ut nec canonicus nec monachus *aliquem consecrari propter res adipiscendas deinceps persuadeat*. At decreta ista vel non diu steterunt, vel nullius usus videntur fuisse.

Adquisitiones fundorum per precarias.

§. X. Uberrimus fons, unde tot praedia in ecclesias & monasteria derivarunt, fuerunt etiam *praecariae*. Jurisconsultis precarium est commodati species, quo rei usus datur ad preces utentis, sed quamdiu libet concedenti (*b*). At in monumentis ecclesiasticis *praecarie* nomine generatim venit concessio ad preces petentium facta, qua ecclesia praedia sua utenda fruenda, saepe in perpetuum, concedebat. Saepe precariae istae pauperibus aut clericis eleemosynae aut stipendii titulo dabantur (*c*); saepe etiam laicis non indigentibus, sed contra ecclesiae mentem, concessae sunt. Ita vero datae precariae nihil addebant bonis ecclesiasticis. Erat vero alia precariae species, qua ecclesiarum bona aucta sunt. Nempe saepe fideles per precarias bona sua ecclesiis dabant, & eorum sibi reservato usufructu, duplum usufructuario jure recipiebant de bonis ecclesiasticis; aut si usufructu rerum suarum abstinebant, tri-

(a) *Conc. Cabilon. cap. VII.* (b) *L. I. D de precario.* (c) *Can. LXXII. C.* 12. *q*. 2.

plum de bonis ecclesiasticis accipiebant: nec tantum ipsi dantes concesso sibi usufructu fruebantur, verum etiam filii & cognati, de quibus convenisset (*a*). Nono saeculo hujus generis precariae jam erant inductae: & quoniam filii saepe querebantur, se per precarias paternis bonis fuisse spoliatos, placuit concilio Turonensi III., ut iidem heredes a majoribus suis data bona in beneficium ab ecclesia reciperent (*b*): qua ratione novi isti beneficiarii homines ecclesiae fiebant, eique servitia praestare tenebantur. Per precarias ingens fundorum copia ecclesiis & monasteriis accessit: quilibet enim presertim si filiorum spe destitueretur, facile eo veniebat, ut patrimonium suum ecclesiae elargiretur, ab eadem duplum aut triplum quantitatis datae in usumfructum accepturus: ecclesia vero dispendium praesens futuro lucro compensabat, atque ita praedia sua augebat (*c*). Iamdiu desierunt istae precariae; at ab eis parum abludit contractus ille, quo multi pecunias suas religiosis domibus donare solent, annuas pensiones multo pinguiores accepturi, quo sunt aetate provectiores.

Bona quoque parta poenitentiarum redemtionibus.

§. XI. Per poenitentiarum quoque redemtiones praedia & opes ecclesiae pararunt. Erant redemtiones istae species quaedam indulgentiarum quibus certa pecuniae quantitate, aut psalmoru

re-m

(a) *Conc. Turonense III. an. IↃCCCXIII. can. XXXI., conc. Meldense an. IↃCCCXLV. can XXII.*
(b) *Conc. Turonens. can. cit.* (c) *Conf. Sarpus materie benefiziarie n. XIX.*

recitatione, aut etiam flagellis canonicae poenitentiae remittebantur. Satis longae erant saeculo octavo canonicae poenitentiae, fueruntque etiam longiores, ubi invaluit, ut pro uno peccato mortali septem annis poenitendum esset: ita enim ejusdem vel diversi generis multiplicatis peccatis, poenitentia longe ipsam vitam excedebat (*a*). Ergo inventae penitentiarum redemtiones, quibus per precum recitationes & flagella, in primis vero per pecuniam poenitentiae relaxarentur. Ac primum quidem aliquot tantum dies redimi eleemosynis permittebantur, idque circa finem poenitentiae & sacerdotis consilio; at inde eo res evasit, ut pro arbitrio poenitentis tota poenitentia redimi posset: quod ut facile fieret, in ipsis poenitentialibus expressum erat, qua pecuniae quantitate quot dies & hebdomadae poenitentiae redimerentur. Et quamvis liberum esset hanc pecuniam effundere in captivos, pauperes, clericos; non videtur tamen dubitandum, maximam ejus partem in ecclesias confluxisse (*b*). Quin non tantum pecuniis, verum etiam praediis oblatis redemtiones fieri solebant. *Quum a poenitentibus terras accipimus*, inquit Petrus Damianus (*c*), *juxta mensuram muneris eis de quantitate poenitentiae relaxamus*. Redemtiones istae ubi tantum pecuniarum & praediorum quantitate concedebantur, vix cum sincera poenitentia conveniebant, quae ex doloris & lacrimarum abundantia praeci-

D 2 pue

(a) *Confer. Thomass. par III. lib.* 1. *cap.* 74. *n.* 5.
(b) *Confer. Murator. diss. LXVIII. antiq. Italic.*
(c) *Petr. Damian. lib. IV. ep.* 12.

pue aestimatur. Ceterum ingens opum & fundorum copia per redemtiones ecclesiis accessit: nam quotusquisque ex divitibus erat, qui non mallet pecunias & praedia dare, quam durissimam tot annorum poenitentiam subire?

Ecclesiis saepe data bona ad publica onera declinanda.

§. XII. Praeterea ecclesiae & monasteria adquisiverunt praedia multa per piam industriam seu fraudem eorum, qui fundos suos publicis oneribus & tributis eximi cupiebant. Scilicet bona ecclesiarum & monasteriorum multis exemtionibus & privilegiis ex principum liberalitate fruebantur. Hinc homines profani bona sua ecclesiis & monasteriis donabant ea lege, ut eadem deinceps in perpetuam emphyteusim reciperent. Ita fraudulenti homines bonis suis ut ante fruebantur, eadem in heredes transferebant, aut alias alienabantur, tantum modico censu ecclesiis persoluto; & interim publicis oneribus non subiacebant: ecclesiae vero non tantum annuum censum lucrabantur, sed etiam familia donantis extincta pleno jure praedia adquirebant. Parum curae esse oportebat clericis & monachis jura civitatis, quae praecipiunt, ut pro conditione & facultatibus quisque suis reipublicae onera ferat, quando in eorum fraudem bona a laicis accipiebant. Vidit fraudem Pipinus Italiae rex, seu potius Lotarius Augustus, ut habetur in legibus Langobardis a Muratorio editis.; & hinc bona ista ecclesiis oblata publicis functionibus subjecit. At christiani bona sua ecclesiis offerre & ab iisdem in emphyteusim accipere continuarunt; quod licet amplius ea publicis oneribus non essent exemta; tamen ecclesiae patrocinio a potentium vi & occupatio-

ne

ne, quae mediis saeculis grassabantur, tuta erant (a).

Ecclesiae Romanae temporalis potestas.

§. XIII. His aliisque titulis ecclesiae & monasteria post pacem christianis datam magna copia fundos in variis regionibus adquisiverunt. Longo autem temporis intervallo fundi isti fuerunt unius generis, privati nempe juris, seu *alodia*, ut inmediae aetatis monumentis nominantur; at inde bona publica & vel ipsum summum in populos imperium ecclesiis accessit, quo nomine ecclesia Romana celebratur. Et sane Pipinus Galliae rex Ravennae exarchatum aliasque Italiae urbes Langobardis ereptas ecclesiae Romanae pleno jure concessit: quod primum summi imperii in ecclesiam translati exemplum esse videtur: nam jamdum inter fabellas oblegata est Constantini M. sic dicta donatio, qua Italia ecclesiae Romanae data venditabatur (b). Translato in ecclesiam Romanam exarchatu, inde Romani pontifices majora adgressi, in ipsa Roma sensim summum imperium obtinuerunt. Crevit quoque dignitas Romanae sedis regnorum oblationibus, quod novum rerum genus praesertim saeculo XI. invaluit, postquam ad has oblationes parandas Gregorius VII. quam maxime desudavit (c). Erant regna oblata, quae ipsi reges ecclesiae Romanae veluti dono dabant, eaque tum ab eadem possidere pro-

(a) *Confer. Murator. diss. LXVII. antiq. Italicar.* (b) *Conf. P. de Marca de C. S. & l. lib. III. cap.* 12. *& Nat. Alexander diss. XXV. in* 4. *saec.*
(c) *Confer. Murator. diss. LXXI. antiq. Italicar.*

profitebantur, quibus oblationibus & regna & reges in fidem & clientelam Romanae fedis recipiebantur. Hujus generis regna ferme omnia Occidentis fuerunt, in primis regnum Hifpaniae, Aragoniae, Portugalliae, Poloniae, Silefiae, Daniae, Hungariae, Angliae, Scotiae & alia. Pendenbant autem reges oblatorum regnorum nomine annuum cenfum, obfequii teftimonium, qui *denarius S. Petri* dicebatur (*a*), & aliquando etiam pontificibus, accepta inveftitura, jurabant fidelitatem (*b*).

☞ *Romanam Ecclefiam ante feculum VI bona quaedam in Sicilia obtinuiffe quae fub nomine* Patrimonii S. Petri *veniebant nullus inficias ibit, qui Epiftolas Gregorii M. & Nicolai Summorum Pontificum perfpectas habeat.* Confer Cod. diplomat. Joannis de Joanne in Diff. 5. *de antiquo Patrimonio Ecclefiae Romanae in Sicilia p* 447. *Attamen divinari nequaquam poteft quo fignanter anno, quoque auctore Patrimonium iftud Romana Ecclefia adcquifierit. Potuit forfan Conftantinus M. vel alii fucceffores in Imperio largitiones hujufmodi Romanae fedi concedere maxime de fundis patrimonialibus & emphiteuticis quos in Sicilia Imperatores habuiffe antiquis monumentis confignatum eft. Certum tamen eft Romanam Ecclefiam ante* 731. *hujufmodi patrimonialia bona amififfe, opera Leonis Ifaurici Imperatoris, qui Romano Pontifici illius aevi Gregorio II. omnia quae in Sicilia obtinebat, ademit, & patrimonium Romanae Ecclefiae in*

(a) *Cangius v.* denarius S. Petri. (b) *Confer. Thomaff. de benef. par. III. lib.* 1. *cap.* 32. *n* 5.

in fiscum transtulit; *ut patet ex* summa Constitutionis *ejusdem Imperatoris apud Theophanem*, *Cedrenum aliosque historicos relata Multoties Romani Pontifices Siculum Patrimonium expostularunt. Verum eorum vota evanuere Siciliam invadentibus Saracenis. Ab horum tyrannide aliquando immortalis Rogerii armis liberata, Nicolaus II P. M. parum de Romanae Ecclesiae patrimonio sollicitus ipsum Comitem hortatur ut totius victoriae tres partes efficeret, quarum unam construendis in Sicilia dotandisque Ecclesiis erogaret, alteram militibus suis pro hoc pio labore impertiret, tertia propriis sublevandis necessitatibus sibimet reservata: quod adamussim explevisse testatur antiquus scriptor anonymus* historiae liberationis Messanae *quam edidit post Balutium* Ludovicus Ant. Muratorius t.6. Rerum Ital. Script. *Et profectò neminem latet, Rogerium Ecclesias Siculas a nefanda impietate Saracenorum dirutas in pristinum statum restituisse, novas aedificasse, muneribus, possessionibus, ac ornamentis magnificentissimè decoratas*.

Etiam regalia *ecclesiis & monasteriis data*.

§. XIV. Porro pleraeque Occidentis episcopales ecclesiae & potiora monasteria fundis publicis, quae ad reges pertinebant, aucta sunt. Bona ista publica dicebantur generali nomine *regalia*, erantque integrae civitates, castra, feuda, vectigalia, portoria, flumina, fodinae, angariae, perangariae, jurisdictio civilis & criminalis & hujus generis alia, quae ecclesiae & monasteria in feudum possidere coeperunt. Ita mediis saeculis patrimonia ecclesiarum ex privatis & publicis fundis constabant. Regalibus coeperunt ecclesiae & monasteria donari in Occidentis regnis, quae ex ruinis Ro-

Romani imperii emerserunt, aut a septemtrionalibus gentibus ad Christum conversis fundata sunt. Sub regibus Carolinae stirpis in Gallia passim feuda, aliquando cum jurisdictione ecclesiis quaesita; inde hi mores convaluerunt, & a tempore Ottonis I. regalium copia etiam ipsa jurisdictio in liberos homines veluti ordinario jure ecclesiis & monasteriis accessit (*a*). Cumque sub Carolinis regibus duces & comites a regibus creati in civitatibus jus dicerent, sensim eo ventum est, ut ducum & comitum civile regimen fere cessaret, & eorum loco episcopi & abbates, aut ab istis creati magistratus juri dicundo praeessent. Feuda autem ecclesiis & monasteriis dederunt non tantum ipsi reges & duces, verum etiam ipsi beneficiarii: nam ea tempestate reges & duces, qui feuda dabant, potestatem accipientibus etiam faciebant, ut ea ecclesiis & monasteriis relinquerent (*b*). Et ita ferme omnes episcopales & insigniores ecclesiae & potiora monasteria mediis saeculis per Occidentem feudis & regalibus creverunt; at apud Graecos feuda ferme ignota; nec regalia in patrimonium ecclesiis concessa (*c*).

Quibus caussis regalia ecclesiis concessa.

§. XV. Non semper autem principes ex iisdem rationibus ecclesias & monasteria feudis & regalibus auxerunt. Alii peccata sua & iis debitas canonicas poenitentias redimere volebant: ex mediae enim aetatis disciplina pro gravibus peccatis

---

(a) *Confer. Boëhmerus jur. eccles. lib. III. tit.* 20. §. 79. *seqq.* (b) *Murator. diss. LXXII. antiq. Italicar.* (c) *Confer. Fleuryus discur. IV. in histor. eccles. n.* 10.

tis aut subire canonicas poenitentias, aut eas redimere oportebat: cui disciplinae etiam reges subjecti putabantur; ac inde etiam feudis & regalibus datis sua peccata redemerunt (a). Deinde feuda ecclesiis & monasteriis saepe data ob politicas rationes, ut nempe adjutorio episcoporum & abbatum regna sua principes constabilirent, aut nova adquirerent, aut partes suas augerent & munirent. *Certe Carolus M.*, inquit Vuillelmus Malmesburiensis (b), *pro contundenda gentium illarum* (Germanorum) *ferocia, omnes paene terras ecclesiis contulerat; consultissime perpendens, nolle sacri ordinis homines tam facile quam laicos fidelitatem domini reiicere. Praeterea si laici rebellarent, illos posse excommunicationis auctoritate & potentiae severitate compescere.* Nec ob aliam rationem reges ecclesiae Romanae saepe regna sua obtulerunt, quam ut ejus potenti patrocinio evaderent firmiora. Ipsi quoque episcopi, quod duces & comites in ecclesiarum homines liberius dominari viderentur; quibus potuerunt artibus, ducatum suae civitatis, aut civilem jurisdictionem in aliquod suae dioecesis castrum obtinuerunt. Nec defuerunt episcopi, qui nono & sequentibus saeculis, dum Italiam Saraceni & Hunni depopulabantur, regum venia civitates & castra muris munierunt, qua ratione loca satis munita possidere & in iis jus dicere coeperunt (c).

(a) *Confer. Murator. diss. LXXI.* (b) *Vuillelm. Malmesbur. lib. V. de gest. rer. Anglor.* (c) *Murator. cit. dissert. LXXI.*

An regalia adversentur sacerdotio.

§. XVI. Regalia autem & feuda ecclesiis concessa fortasse sacerdotio non adversantur, modo certis limitibus administrentur. Et damnatus profecto est Arnaldus Brixiensis, qui nihil proprie a clericis, nihil etiam in communi a monachis haberi posse docebat, nec episcopos tenere posse regalia, sed haec omnia temporalibus & laicis dominis restituenda, quod Otto Frisingensis episcopus testatur (a). Sane rerum dominia non pugnant cum clericatu, & ecclesia regalibus & feudis aucta veluti quamdam theocratiae speciem poterat inducere, in qua pastores auxilio religionis gregibus suis pacem christianam, legum observantiam & regum venerationem instillarent. Deinde ubi penes ecclesiam est civilis potestas, sive independens, sive jure feudi, aequitate potius quam summo jure regimen procedit, & homo homini ex ratione potius consulit, quam dominatur. Ejusmodi fuere olim reges iidemque pastores populorum, qui forte nec imperiosius regere coeperunt, nisi ubi subditi facti sunt perviciaciores. Et ex hac ratione regimen praelatorum media aetate ducum & comitum imperio praelatum fuit, adeo ut ea tempestate subjici civitatis episcopo perinde habitum sit ac libertatem nancisci, quod Hertius observat (b). Ubi quoque lene & religiosum procedit imperium, necesse non est, poenas de criminibus cum sangui-

(a) *Otto Frisigensis lib. II. de rebus gestis Friderici cap.* 20. (b) *Hertius dissert. de orig. & progress. special Rom. Germ. imperii rerumpubl.* §. X.

guine poſcere, ſed duris poenitentiis poterant crimina expiari: nam ſi delinquentes parati ſint ad ſatisfactionem & a criminibus ceſſant, utilius fortaſſe exemplum poenitentia & converſione ſua, quam ſanguine effuſo reipublicae praeſtant. Quid quod ubi primum eccleſiae regalibus auctae ſunt, in Occidentis provinciis ferme ſolis multis aut poenitentiis crimina etiam capitalia expiari conſueverant (a)? Interim vero bella, quibus feuda implicabant, omnino pugnant cum ſacerdotii manſuetudine. At militiae obligatio remitti poterat eccleſiae ex principum, qui feuda conceſſerant, liberalitate, quod epiſcoporum precibus & rei turpitudine motus Carolus M. fecit (b); aut ſaltem aere redimi, quod ſine reipublicae detrimento hac aetate obtinet.

Mala ex regalibus exorta.

§. XVII. Sed fatendum eſt ingenue, e re christiana magis fuiſſe eccleſiam feudis & regalibus non donari, inde enim incommoda multa in eam manarunt, & diſciplina eccleſiaſtica ferme omnis intercidit. In primis epiſcopi aſſumto feudorum regimine magna rerum temporalium ſarcina gravati ſunt, & ita ſpiritualia neglexerunt, aut negligenter curarunt. Coacti quoque epiſcopi & abbates gregem ſuum pro majori anni parte relinquere ejuſque curam committere mercenariis. Etenim ratione feudorum ſuorum oportebat epiſcopos & abbates eſſe in imperatoris aut regum comitatu; imperatores vero & reges

 non

(a) *Confer. Thomaſs. de benef. par. II. lib. I. cap. 72.* (b) *Capitul. lib. VII. cap. 91. & 103.*

non semper uno loco morabantur, sed de loco in locum pro dominiorum suorum necessitatibus discurrebant. Opus etiam erat interesse regni comitiis, & imperatoribus & regibus varia obsequia erant exhibenda (*a*). Porro ratione feudorum episcopi & abbates in milites versi sunt; erant nempe ex feudis debita servitia militaria & equestria: atque ita episcopos & abbates sibi addictos milites alere oportebat, & imperatores & reges in bello comitari (*b*). Et quamvis Carolus M. militiam ecclesiis remiserit; tamen paullo post iterum illius onus episcopis iniectum (*c*); quin eorum multi (adeo erant mores depravati) militiam ecclesiae honorem reputabant. Nec tantum in exercitibus regiis cum militum suorum cuneis episcopi militabant; verum etiam saepe armati prodire debebant ad terras suarum ecclesiarum contra invasores defendendas. In tanta quoque opum & divitiarum vi, quibus ecclesiae & monasteria turgebant, crevit ambitus ad dignitates ecclesiasticas, & simonia ecclesiasticos fere omnes conspurcavit. Quin multi ex episcopis dominiorum abundantia elati, maluerunt dici *barones regni* quam episcopi, quos Petrus Blesensis acriter insectatur (*d*). Et hinc recte observavit S. Bernardus, regalia peccatorum occasionem episcopis fuisse: *quod datum est illis in adjutorium, factum est illis*

(a) *Confer. Murator. differt. LXX. antiq. Italicar.* (b) *Confer. Zieglerus de episcopo milite.*
(c) *Thomassinus de benef. part. III. lib. I. cap. 41. n.6.* (d) *Petrus Blesens. de institutione episcopi.*

illis in scandalum (a). Ex regalium quoque concessione natae sunt episcoporum & abbatum investiturae, quibus ante accepta regalia nemo in episcopum & abbatem assumi permittebatur. Hinc electiones episcoporum & abbatum fere in principes translatae, & tandem cruenta bella inter imperium & sacerdotium emerserunt, quae rempublicam & ecclesiam longo annorum cursu exagitarunt.

Quid amortizatio ejusque caussa:

§. XVIII. Longo saeculorum cursu penes ecclesiam & alias religiosas societates libertas bona stabilia adquirendi integra stetit; at inde multorum principum edictis coacta est, statutumque, ne ecclesia & loca religiosa sine civilis potestatis consensu bona immobilia adquirerent. Consensus iste civilis potestatis, quo ecclesiis rerum soli adquisitio indulgetur, *amortizatio* dictus est: quae vox deducta videtur a voce Gallica *amortior*, quod est extinguere (b). Etenim bona ecclesiastica, utpote civilibus oneribus & tributis exemta, civitati & usibus publicis extincta videbantur: qua ratione fortasse etiam ecclesiae & religiosae societates *manus mortuae* audierunt. Salus populi profecto fuit, quae principum edicta suasit, ne ipsis insciis immobilia in manus mortuas transirent. Est ecclesia tale corpus, quod numquam intercidit, ut de populo dixit Alphenus (c): atque adeo quae semel accepit, non reddit, sed perpe-

tuo

(a) *S. Bernardus serm. ad pastores in fine*.
(b) *Boehmer. de jure paroch. sect. V. cap. 1. §. 23.*
(c) *L. LXXVI. D. de judic.*

suo tenet, quod rerum ecclesiasticarum vetita est alienatio. Cumque ecclesiae immensam praediorum copiam sibi quaesivissent, eaque passim publicis oneribus non subjacerent; plane e republica visum est, facultatem adquirendi ecclesiis aliisque locis piis concessam cohibere, necum reipublicae detrimento illa semper adquirerent: quam fuisse originem, seu rationem amortizationis etiam Petrus Peckius observavit (a). Inter primos, qui vetuerunt, ne ecclesiae stabilia bona adquirerent, Fridericus I. imperator censendus est, qui statuit, ne feuda in totum aut pro parte distrahere liceret etiam ad piam caussam sine domini, qui feudum dederat, concessione (b). At edictum istud feuda tantum spectavit: deinceps vero non uno tempore in Gallia, Hispania, Venetorum republica aliisque christianis provinciis generatim statutum, ne res soli in ecclesiam seu alia loca religiosa sive inter vivos sive in ultimis voluntatibus sine consensu civilis potestatis transferentur. Ubi viget amortizatio, si principes eam concedant, quasi in compensationem publico aerario inde subtractarum utilitatum & redituum, exigunt certae pecuniae quantitatem, quae jure eorum arbitrio committenda est, quamvis in multis provinciis veluti in Hispania & Gallia consuetudine vel lege talis pecuniae quantitas determinata sit.

Pro jure suo civilis potestas amortizationem inducit.

§. XIX. Statuta autem ista, quibus sine publi-

(a) *Peckius de amortizat: cap: X.* (c) *Lib. I. feudor. tit.* 55. *& ap. Radevic. lib. II. cap.* 7.

blico adſenſu vetantur eccleſiae & loca religioſa res ſoli adquirere, pro jure ſuo civilis poteſtas condidit & condit adhuc. Et profecto in civilem poteſtatem a Deo inſtitutam injurii ſunt, qui tenent, neceſſitatem adſenſus ſummi imperantis ut eccleſiae immobilia adquirant, eccleſiaſticae libertati & immunitati repugnare. Sane poteſtas in res temporales tota eſt penes civilem poteſtatem, earumque commercia pro ſalute civitatis recte principes moderantur & extendunt. Ipſa quoque eccleſia ab legibus chriſtianorum principum habet jus immobilia capiendi: atque ita ubi copia fundorum in eccleſias translatorum in reipublicae perniciem vergit, conceſſa eccleſiis adquirendi facultas recte a principibus certis finibus coarctatur. Porro ſummae poteſtates edictis *amortizationis* nihil eccleſiae praecipiunt, ſed laicis tantummodo legem imponunt, ne cum hoc vel illo hominum genere contractus ineant. Et mirum profecto eſt credere talibus edictis principes eccleſiae libertatem laedere, quando ipſi privati ſimilem legem rebus ſuis per fideicommiſſa dicunt (bona enim ſubjecta fideicommiſſo nec in piam cauſſam poſſunt alienari); nec propterea umquam auditum eſt, fideicommiſſa adverſari eccleſiae libertati, quod Paulus Venetus (a) animadvertit.

Jure Romano ignota amortizatio.

§. XX. Non deſunt, qui putant etiam jure civili chriſtianorum principum aliquando vetitum fuiſ-

(a) *Sarpus in conſiderat. Confer. Eſpen. par. I. tit.* 29. *cap.* 3. *n.* 15.

fuisse, ne bona immobilia ecclesiae adquirerent; quasi imperatores post Constantinum M. auctis ecclesiarum divitiis veriti reipublicae perniciem, profusas fidelium in ecclesiam largitiones cohibuerint. Sed sub christianis imperatoribus facultas adquirendi ecclesiis facta nihil aut parum imminuta est. Edixit quidem Valentinianus senior, ne ecclesiastici & *continentes* (quo nomine monachi videntur indigitati) a mulieribus, quibus se privatim sub praetextu religionis adjunxerant, ex liberalitate quacumque aut extremo judicio aliquid possent adipisci (*a*). At recte vidit Jac. Gothofredus, hac lege non prohibitas fuisse mulieres aliquid ecclesiiis elargiri, vel relinquere (*b*) sed potius castigatam fuisse quorumdam clericorum & continentium indignam praxim, qui pessimo exemplo sub religionis nomine hereditates & bona extorquebant. Quam perversam praxim ecclesiae patres in primis Hieronymus & Ambrosius damnant, & quo erant animi candore, non de lege queruntur, sed de eo quod legem meruissent (*c*). Immo aperte Ambrosius testatur, hac Valentiniani lege jus capiendi ecclesiis quaesitum non fuisse deminutum: *sed referunt, ea quae vel donata, vel relicta sunt ecclesiae, non fuisse temerata* (*d*). Inde Theodosius M. legem edidit, qua prohibebantur diaconissae ex illustri familia oriundae, quibus domi votiva proles esset, ecclesiam, clericos, aut pauperes heredes scribere (*e*). Ve-

(a) *L. XX. C. Th. de episc.* (b) *Jac. Gothofr. in cit. l.* (c) *Hieronym. ep. II. ad Nepotian.*, *Ambros. ep. XXXI. ad Valentin.* (d) *Ambr. loc. cit.* (e) *L. XXVII. C. Th. de episcop.*

rum haec lex parum nocuit ecclesiis, etenim tantum de diaconissis nobilibus cavebat, & praeterea duobus interjectis mensibus ab eodem Theodosio revocata est (a). Vt adeo sub christianis imperatoribus semper integrum steterit jus capiendi immobilia, quod Constantinus M. pridem ecclesiis concesserat.

In regno Siciliae olim amortizatio instituta.

§. XXI. In Siciliae regno, quo Sicilia proprie sic dicta & regnum Neapolitanum diu comprehensa sunt, ab antiquis usque temporibus *amortizatio* instituta est. Renovata enim suorum praedecessorum veterum principum constitutione Fridericus II edixit, ne possessiones hereditariae vel patrimoniales inter vivos quocumque titulo, nisi ex caussa aequalis permutationis, transferrentur in ecclesias & alia loca religiosa: in ultimis vero voluntatibus ut iisdem relicta stabilia intra annum proximioribus defuncti aut aliis laicis quibuscumque venderentur. Haec est germana constitutionis sententia, quam ipse Afflictus exhibuit (b), etsi in vulgaris constitutionum libris nonnihil depravata sit (c). Praedecessores autem illi, quorum constitutionem Fridericus renovavit, non sunt Occidentales imperatores, sed potius Normanni Siciliae reges, quod constat ex ipsius Friderici responsione ad Gregorii IX. legatos seu monitores, ubi imperator contestatur, hanc esse formam antiquae constitutionis regni Siciliae, quod si-

(a) *L. XXVIII. C. Th. eod.* (b) *Afflict. in hanc constit.* (c) *Lib. III. const. regni tit. 29. de rebus stabilibus ecclesiasticis non alienandis.*

sine consensu principis privatorum bona in manus mortuas transferri non possint (*a*). Ita constitutio non est ex imperialibus, sed ad regnum Siciliae pertinebat. Obtinuit lex ista sub Friderico: at paullo post regno ad Andegavenses translato a Carolo II. tum regni vicario abrogata est (*b*). Quin in illa temporum caligine & juris publici ignorantia & fortasse etiam ex genio novorum regum sacrilega & ecclesiasticae libertati adversa credita est (*c*). Hinc sub Andegavensibus & deinceps ecclesiae & loca religiosa apud nos res soli multas adquisiverunt: jamque medietas praediorum & redituum regni penes manus mortuas esse dicitur. Et mirum profecto est, quod apud nos bona immobilia adhuc in ecclesias confluant, quando christianae ferme omnes provinciae etiam in Italia *amortizationem* instituerint. Quamvis si intactis praediis per manus mortuas quaesitis apud nos *amortizatio* statuatur, majora incommoda tantum praecaverentur; at respublica aliquid commodi fortasse non sentiet. Quid enim boni sperandum in ea civitate, ubi potior fundorum pars est penes manus mortuas?

☞ *Licet ex iis quæ superiori §. auctor noster habuit, nonnulla de Regni nostri politia circa amortizationem colligi possint, nihilo tamen secius in re tam gravis momenti operæ prætium ducimus integram historiam legislationis nostræ Insulæ e siculis mo-*

(a) *Ap. Matth. Pariens. ad an.* CIↃCCXXXIX. *col.* I. (b) *Cap.* item statuimus *VII. de privileg. & immunitatibus ecclesiar* (c) *Confer. auctor hist. civilis regni Neapol. lib. XVI. cap.* 8.

monumentis excerpere, ut inde aperte liqueat possitremas invictissimi Ferdinandi feliciter gubernantis leges, quibus bona in Ecclesias transferri prohibetur, antiquis nostris constitutionibus apprime consonas esse.

Enim vero primum qui in regno nostro leges hac de re instauravit, Fridericum Imperatorem fuisse pro certo est, uti ex ipsius constitutione jam ab auctore nostro per summa capita relata apertè colligitur. Hanc vero integram exscribemus ex Constitutionibus Regni Siciliæ lib. 3. t. 29. de rebus stabilibus non alienandis Ecclesiis, *ut pote ad rem nostram maximopere facientem „ Prædecessorum „ nostrorum veterum Principum constitutionem, „ quam antiqua turbatio præteriti temporis antiquarat, nova promissione novantes edicimus: quod nulli subjectorum nostrorum Clerico, „ vel Laico liceat domibus Templi vel Hospitalis, „ seu cuilibet alio loco religioso, de quo nostræ curiæ certum servitium minime debetur, possessiones „ hæreditarias vel patrimoniales vendere, vel donare inter vivos aliquo donationis, nisi ex æqualis caussa permutationis transferre. Ceterum si in „ ultima voluntate aliquem de prædictis locis hæredem instituerint, tum domus quæ institutionem „ vel legatum acceperit, teneatur infra annum alicui de proximis defuncti, vel de Burgensibus nostris prædicta stabilia vendere. At si ultra annum prædicta distulerit, possessiones ipsas post anni lapsum fisci nostri juribus volumus applicari: „ de rebus autem quibuscumque mobilibus quantumcumque pretiosis relinquendi prædictis domibus, & „ aliis religiosis locis concedimus facultatem. Jam legem hanc ad nostrum regnum pertinere (quidquid*

con-

contra sentiant nonnulli Juris Consulti hujus Constitutionis Commentatores qui eam Imperium respicere contendunt) præcipuè ex eo patet , quod ipse Fridericus Templarios sicutos bonis stabilibus privarit ad mentem legis ab ipso latæ: illisque apud Pontificem Gregorium VII. Imperatorem Regem nostrum accusantibus , aliquot Episcopi ipsius nomine coram ipso Pontifice Friderici factum defensarunt , ostendentes „ per judicium , & per antiquam Constitutionem „ Regni Siciliæ revocata fuisse Templariis feudalia „ ac Burgensatica, quæ illi habuerunt a Regni in„ vasoribus , quibus æquos , arma victualia . . . . . „ ministrabant abunde , quando infestabant Impera„ torem . . . . Nonnulla vero Burgensatica quæ e„ merant revocata fuisse ab eis secundum formam „ antiquæ constitutionis Regni Siciliæ , quod nihil „ potest eis sine consensu Principis de Burgensaticis „ concedi vel in ultima voluntate legari , quin post „ annum , mensem , & septimanam , & diem aliis „ Burgensibus sæcularibus vendere & concedere te„ neantur „ verba sunt defensionis Imperialis *relatæ a Golstano Collect. Constitutionum Imperialium T. II. & a Luinig T. II. Codicis diplomatici Italiæ,*

Accedit quod duo præclarissimi Commentatores Andreas Serraus , & Alphonsus Airoldus nunc Judex Regiæ Monarchiæ pro nostro Regno hunc legem interpetrati sunt; quam sententiam Airoldus firmavit diplomate Manfredi Friderici filii (quod recensuit Antonius Mongitore in Monumentis historicis C. IV. ejusque auctographum membranaceum asservari ait in Tabulario Sanctissimæ Trinitatis Panormi) quo privilegia domui hospitalis S. Mariæ Teutonicorum a veteribus principibus concessa confirmantur hac addita clausula „ non obstante Constitutione divo-

„ rum

„ *rum proavorum nostrorum Regum Rogerii, &*
„ *Guillelmi confirmata postmodum per quondam*
„ *prædictum Dominum Patrem, & fratres nostros*
„ *felicis memoriæ, & nostris etiam Constitutionibus*
„ *comprehensa, per quam mandatur expressius,*
„ *ut possessiones omnes, & bona stabilia sacris locis*
„ *& ipsorum Prælatis a quibuslibet Patronis obla-*
„ *ta ultra annum retineri non debeant, sed distra-*
„ *hantur omni modo, ipsorum pretium ad utili-*
„ *tatem Ecclesiæ, cui oblata fuerint convertendo.*

Rex Fridericus II. vestigiis Friderici Imperatoris inherens sanxit cap. 24. inter Capitula Regni ejus nomine edita, *ut prædia rustica, sive urbana quocumque alienationis titulo, seu per ultimas voluntates in Ecclesias translata intra annum unum, hebdomadam, mensem, & diem vendantur a Prælatis Ecclesiarum, hominibus Regii Demanii, si bona de Demanio fuerint, aut vassallis si feudataria: inflicta pæna confiscationis dictorum bonorum ubi hæc constitutio non observetur, Anno* 1638. *Philippus II. regio diplomate Proregi vetuit veniam concedere transferendi feuda in Ecclesias, & manus mortuas, & anno* 1651. *nova pragmatica sanctione idem jussit trium mensium spatio feuda, bona feudalia, mera, & mixta imperia, ceteraque hujusmodi alienatum iri ab Ecclesiis in laicos qui dominii sint capaces sub pena regiæ confiscationis. Consule Cod. Siculum Dominici Gianrizzo p.* 37. *& seq.*

Verum has leges jam temporum oblivione obsoletas sapientissimus rex noster Ferdinandus resuscitare sui muneris esse duxit, & vetustam hac de re disciplinam restituere. Hinc regiis litteris an. 1771 *sub die* 2. *Februarii vetitum est, Ecclesias, & alia-*

loca pia & Ecclesiastica deinceps bona stabilia vel redditus quocumque titulo sive inter vivos sive in ultimis voluntatibus accquirere. Quamobrem nullæ factæ sunt institutiones, donationes, & contractus omnes, quibus novæ possessiones locis piis ecclesiasticis accquiruntur, si conditiones adjectæ adhuc non extiterint, aut ipsa loca pia non adhuc in pacifica possessione sint, ultimoque possessori datum est disponere de bonis, in quibus succedere debebant manus mortuæ. Tantum licet locis piis Ecclesiasticis iterum collocare, quæ restituuntur capita in idem crediti genus, modo id non fiat super bonis stabilibus, & ea bona retinere, quæ ante latam legem pacifice possidebant. Quod si dubia sit possessio, id laici judicis examini subjiciendum. Integrum vero relictum est adquirendi jus locis piis operum publicorum, aut laicorum, quæ ab ipsis laicis administrantur non item sodalitiis laicorum quæ Congregationes *dicuntur. Sanctimonialium dotes, & fructus, qui ex annuis redditibus locorum Ecclesiasticorum supersunt, concessum in census annuos collocari etiam super bonis stabilibus constituta hypotheca, modo si contractus ob debitoris moram rescindantur, stabilia locis Ecclesiasticis non addicantur, sed vendantur laicis secundum Friderici Constitutionem.*

Epheborum collegia vulgo seminaria locis Ecclesiasticis accenseri declaratum die 15. *Junii ejusdem anni. Ad ampliandam vero magis magisque vetitam bonorum accquisitionem præsertim spectant Regiæ litteræ, quæ mense Augusto anni* 1771. *emissæ sunt, & plura capita continent.*

Et primo bona in emphyteusim concessa per Ecclesias habenda esse ut alodialia sive privata eorum, quibus quæsita sunt sub onere veteris Canonis qui au-

auqeri minime possit ab Ecclesiis; & ita posse emphiteutam de iisdem pro arbitrio disponere, eaque etiam exstinctis lineis, quibus concessa erant in hæredes sive legitimos; sive testamentarios transire. Tantum emphiteusim finiri si trienio Canon postulatus non fuerit (cum antea per biennium non soluto canone cessaret emphiteusis) aut si fundus ita deterior factus sit, ut ejus qualitas notabiliter mutetur. Porro sic finita emphyteusi fundum iterum laicis sed non ducto canone in emphyteusim dari debere. Fundi vero meliorationes pristino emphyteutæ cedere, cui a novo earum prætium solvendum est. Et ut vetita accquisitio bonorum respectu Ecclesiarum latius protenderetur etiam rex declaravit eodem jure cum emphyteusi locationem bonorum Ecclesiasticorum ad longum tempus censeri.

Preterea altero capite Rex declaravit, ut nec pecunia numerata quademumcumque ratione locis piis Ecclesiasticis relinqui aut donari possit.

Item tertio capite Rex duo declaravit: I. quae locis piis restituuntur capita super rebus soli collocari non posse, quod generalibus de vetita adquisitione litteris expressum erat. Alterum quæ supersunt ex annuis locorum piorum Ecclesiasticorum redditibus in nullum crediti genus posse collocari, sed potius in usus pios ex Ecclesiæ sententia tribuenda. Ita derogatum est anterioribus regiis litteris sub die 2. Febr. ann.1771. quibus dum agebatur de dotibus Monialium obiter dictum erat etiam quæ supersunt ex fructibus annuis locorum piorum, collocari in census posse etiam super rebus soli hypotheca constituta.

Quarto capite declaratum est bona immobilia, super quibus cangregationes laicales hypothecam ha-

habent ipsis Congregotionibus non posse adjudicari, idque ea ratione quod sodalitia ista edicto de non adquirendo teneantur.

Demum quinto capite Rex declaravit permutationes bonorum immobilium inter Ecclesias, & alia loca pia ecclesiastica, & laicos fieri non posse sine ipsius venia.

Novis quoque litteris die 1. Novembris ejusd. anni 1771. datis idem Rex edixit: sub generali regula, qua locis piis Ecclesiasticis novæ acquisitiones interdictæ sunt, etiam contineri hæreditates, quæ ex integro Missarum oneribus subjectæ sunt. Itaque voluit ut hujusmodi hæreditates onere illo liberæ hæredibus legitimis adcquirantur, ita tamen ut hæres quotannis in perpetuum aliquam Missam, aut si plures sint hæredes singuli saltem unam quotannis celebrari faciant, modo prædictæ celebrationi nulla prædia addicantur, sed quidquid ejus rei sit velut onus hæreditarium habeatur.

Cum ex præcitata Regis Constitutione, questio enata esset, num etiam abolita censeantur laudimia, quæ exigi solent in translatione dominii; idem Ferdinandus diplomate sub die Septima Martii 1772. declaravit laudimii solutionem ob translationem dominii de possessionibus locorum piorum minime vetitam esse, ubi ita observatum est, ac inter partes statutum. Ut vero antiquus Canon augeri nequit, ita nec laudemium etiam si prædium auctum fuerit quacumque accessione. Substitutiones, & fideicomissa in favorem exstinctæ societatis Jesu non adhuc adimpleta, irrita declarantur, ac bona ultimo legitimo possessori libera addicuntur Regis edicto an. 1772.

Testamenta in quibus anima instituitur hæres eti-

etiamsi antiqua sint irrita, ac nulla declarantur regiis litteris editis anno 1774. Pia vero legata, aliaeque testatorum dispositiones ab haeredibus adimplendae praecipiuntur diplom. 17. Aprilis ejusd. anni.

Peculium a Monialibus reservari solitum etiam ad triennium, vel amplius post earum mortem sub generali lege vetitae bonorum adquisitionis minime inclusum voluit Rex noster diplomate an. 1774 sub die 10. Augusti. Denique Collegia Educationis puellarum, vulgo Collegia Mariae, quamvis in eis sollemnis professio non emittatur, & per laicos regantur, generali Amortizationis legi obnoxia esse statuit Ferdinandus Rex noster. His vero ad generalium Comitiorum petitionem indultum novos redditus acquirere, donec sufficienter eorum substentationi provideatur Regis tamen expostulato consensu.

Haec de generali Amortizationis lege dicenda erant: caeterum ad majorem hujus articuli explanationem adeas cit. Cod. Siculum. T. I. p. 131. & sequentibus.

CAPUT XXXIX.

De decimis & primitiis.

Lex decimarum apud Judaeos civilis.

§ I. APud Judeos ex legis praecepto decimas & primitias Levitis & sacerdotibus debitas fuisse nemo unus ignorat. Nomine decimarum decima pars ex fructibus terrae & pecudum veniebat: primitiae erant primi rerum fructus. Utrum jus hoc originem duxerit ex veteri patriarcharum more, qui ex libera voluntate vel ex vo-

to decimam spoliorum aut suarum facultatum Deo consecrabant (a); an potius ab jure quodam regio, quo Deus in republica sua decimas sibi reservavit, non aeque expeditum est. Veri speciem habet, decimas legitimas fuisse instar tributi, quod Deus populo suo indixit, ut Spencerus, Joannes Clericus & Jo. Franc. Buddeus arbitrantur (b). Scilicet sollemne fuit per Orientem regibus tributi nomine decimas pendi, quod idem Clericus observat (c). Instituta autem inter Judaeos theocratia, decimae de more aliarum gentium videntur reservatae, ut eo tributo jus summi imperantis, quod Deus obtinebat, adgnosceretur. Cui vero usui decimae Deo erant? Itaque eas Levitis & sacerdotibus in sustentationem pendi jussit, quando isti in divisione terrae Chanaan in tributum non venerunt, ut unice rebus divinis vacarent; atque ita justum erat, ut sumtibus universi populi alerentur, qui in salutem populi cultui divino erant mancipati. Quapropter lex de solvendis decimis populo Judaico dicta mere civilis & judicialis fuit, & ad regalia divina pertinebat, etsi summam redoleret aequitatem, quando Levitae & sacerdotes nullis aliis reditibus erant donati, & pro salute totius populi sacris erant addicti.

In evangelio nullae decimae indictae

§. II. Jure evangelico christianis ad alendos al-

(a) *Genes. XIV. 20., & XXVIII. 22.* (b) *Spencer. de LL. Hebr. ritual. lib. III., Cleric. ad Seldeni dissert. de decimis sect. III, Buddeus hist. eccles. veter. test. part. I. sect. 3.* (c) *Cleric. in Genes. XLI. 43., & XLVII. 26.*

altaris ministros decimae nullae indictae sunt, & quae in ecclesia jamdiu invaluerunt, juris divini dici nequeunt, nisi quatenus ad ministrorum ecclesiae sustentationem sint necessariae, quod S. Thomas & saniores theologi & canonistae adgnoverunt (b). Sane decimae Levitis & sacerdotibus ex peculiari & civili reipublicae Judaicae statu debebantur, a quo res christiana distabat, & nunc omnino distat. Nulla theocratia inter christianos, nullius terrae divisio, unde altaris ministri exclusi sunt: quin potius primi christiani praedia sua vendebant, & inde recepta pretia conferebant in commune. Multo minus praeceptum de solvendis decimis datum Judaeis valere poterat inter christianos, quando ecclesiae bona immobilia & clerici privata patrimonia coeperunt possidere. Quoniam vero justum erat & in ipso evangelio inculcatum, ut altaris ministri de altari viverent; deficientibus decimis, spontaneas oblationes christiani usurparunt, quibus clerici & pauperes alerentur. Nec defuerunt ex apostolis & primis episcopis, qui manibus suis, ne ecclesiae oneri essent, ad paranda sibi alimenta operabantur.

Sententia veterum patrum de necessitate decimarum.

§. III. Interim antiqui patres praeceptum de solvendis decimis a Deo Judaeis impositum non tamquam judiciale, sed moràle videntur habuisse

(a) *S. Thom.* 2. 2. *q.* 87. 1., *Gonzalez. in cap.* XXXI. *ex. de decim.*, *Hieron. a Costa histoire des revenus ecclesiastiques tom. I. p.* 185.

se, atque adeo docent, christianos jure divino ad decimas teneri, quod post alios Binghamus (a) observat. Sane plerique ex veteribus in primis Origenes, Augustinus & auctor apostolicarum constitutionum Christi mandatum, quo christianorum justitia uberior esse debeat justitia scribarum & Pharisaeorum, ad decimas aptant, & inde concludunt, arctiori praecepto christianos ad decimas adstringi, quam olim Judaei tenebantur (b). Hieronymus quoque aperte profitetur, a christianis divino praecepto decimas deberi (c): docet enim legem de decimis etiam christianis datam intelligi, *quibus praeceptum est non solum decimas dare & primitias; sed & vendere omnia, quae habent, & dare pauperibus & sequi dominum Salvatorem. Quod si facere nolumus, saltem Judaeorum imitemur exordia, ut pauperibus partem demus ex toto, & sacerdotibus & Levitis honorem debitum deferamus ..... Quod qui non fecerit, Deum fraudare & supplantare convincitur, & maledicitur ei in penuria rerum omnium*. Sunt hae merae exhortationes? potius verum praeceptum videntur continere. Facile autem antiquis patribus insedit, decimas a christianis jure divino deberi, quando christianum sacerdotium ex veteri coeperant metiri, ac ita de christianis sacerdotibus ex veteribus judicare. Vestigiis patrum deinceps canones & pontifices adhaeserunt, & ve-

(a) *Binghum. orig. eccles. lib. V. cap.* 5. §. 1.
(b) *Origen.hom. XI. in Num.* 18., *August.com. in psal. CXLVI., const. Apostol. lib. II. cap.* 35.
(c) *Hieronym. in cap. III. Malach.*

veluti certum proposuerunt, decimas a christianis jure divino deberi.

Qui decimae inter christianos receptae.

§. IV. Hac sententia de decimis inter christianos jure divino debitis ecclesiae patres imbuti, in suis concionibus & scriptis earum solutionem identidem inculcabant. Inde exciti christiani presertim moratiores sensim decimas praestare coeperunt. Chrysostomi aetate vix unus aut alter decimas per Orientem offerebat, eratque opus admiratione dignum (*a*). Et hinc non recte Binghamus post Seldenum adfirmat, ante finem saeculi quarti decimas ecclesiis datas fuisse (*b*). Interim post id tempus christiani plures pro religione sua id tributum ecclesiæ praestiterunt; sed nulli exstabant canones vel leges, quibus decimae ex necessitate indicerentur. Fortasse primum synodus Matisconensis II. anno IↃLXXXV. celebrata decimas veluti jure divino debitas imperavit, & excommunicandos edixit, qui eas non solverent (*c*). Fuit haec synodus particularis, ac proinde extra fines regni Gunthramni, cujus metropolitae & episcopi eam celebrarunt, obligare non potuit. Itaque usus decimarum generatim saeculo octavo & sequentibus invaluit, quando utraque potestas ad hoc onus vel invitis imponendum desudavit. Sane multis Caroli M. & Ludovici Pii capitularibus decimae imperatae sunt, iisque omnes subjecti (*d*). Et necessario qui-

(a) *Chrysost. hom. V. in Ephes.* (b) *Bingham. loc. cit.* §. 3. (c) *Conc. Matisconense II. can. V.*
(d) *Capitul. Caroli M. an. IↃCCCI. cap. VI. seq. ap. Balut. tom.* 1. *capitul.,& lib. V. capitul. cap.* 101. *ap. Balut. tom.* 1.

quidem hac aetate decimae videntur indictae; nam sub Carolo Martello fere omnes ecclesiarum reditus in Gallia militibus tributi sunt, atque adeo ex decimis alimenta clericis videbantur exhibenda, quod Montesquius observat (a) praetertim quando decimae jure divino niti credebantur. Ex Galliis ad alias provincias obligatio ad decimas extensa est: quin christiani de novo ad Christum per septemtrionem conversi non sine publicis turbis tanto oneri subjecti sunt (b). At per Orientem decimae receptae non sunt, aut si earum aliquis usus fuerit, inde abolitus est, quod factum arbitrantur viri docti occasione legis Justiniani, qua vetiti sunt episcopi aut clerici cogere christianos sub anathemate *ad fructus offerendos vel angarias dandas* (c).

Decimae etiam ex lucris personalibus debitae.

§. V. Lex autem decimarum apud christianos latius, quam apud Judaeos extensa est. Etenim lex decimarum in ecclesia afficit fructus omnes & personalia lucra, quando in Judaica republica tantum terrae & pecorum fructus decimis subjecti erant. Et initio quidem etiam in ecclesia tantum ex terrae & pecudum fructibus decimae videntur receptae, successu temporis etiam extensae sunt ad lucra personalia. Scilicet antiqui patres etiam ex lucris decimas ecclesiae offerendas in-

(a) *Montesquieu esprit des loix lib. XXXI chap.* 12. (b) *Confer. Christian. Lupus schol. in can. V. conc. Romani Nicolai II. tom.* 5 *oper. E. V.* (c) *L. XXXIX. §.* 1. *C. de episc. & cleric. Confer. Espen. par. II. tit.* 33. *cap.* 1. *n.* 14.

inculcabant. Certe Augustinus praeceptum de solvendis decimis ita exponit, *praecidite aliquid & deputate aliquid fixum vel ex annuis fructibus vel ex quotidianis quaestibus vestris* (a). Et auctor sermonis *de reddendis decimis*, qui sub ejusdem Augustini nomine latet, etiam *de militia*, *de negotio*, *de artificio* decimas reddendas edicit (b): quem locum quemadmodum & alium sub nomine Ambrosii in eamdem sententiam decreto suo Gratianus inseruit (c). Quibus consonat Theodulphus episcopus Aurelianensis, qui sub octavi saeculi finem inculcavit, unumquemque ex arte sua ad decimas pendendas obligari (d). Fuerunt hae peculiares sententiae, quae ubi decimae i operari coeperunt, in usum redactae non videntur, nam in canonibus conciliorum & summorum pontificum decretalibus tantum ex terrae & pecorum fructibus decimae imperantur. Tandem vero Caelestini papae III. rescripto etiam decimae ex lucris personalibus indictae sunt, idque ex sententia sanctorum patrum (e), quorum nomine videtur pontifex intellexisse fragmentum, quod sub nomine Augustini ex sermone de reddendis decimis apud Gratianum exstabat. Quo rescripto in decretales Gregorii IX conjecto, concordi interpretum sententia receptum est, de omnibus etiam personalibus lucris decimas esse solvendas.

De-

(a) *August. comment. in psal. CXLVI.* (b) *Augustin. serm. CCXIX. de tempore.* (c) *Can. LXVI. C. 16. q. 1., can. IV. C. 16. q 7.* (d) *Theodulph. in capitulari cap. XXXV.* (e) *Cap. XXII. ex. de decim.*

Decimae triplicis generis.

§. VI. Sunt itaque decimae ex principiis juris ecclesiastici decima pars fructuum sive naturalium, sive civilium, sive ex animantibus provenientium, & lucrorum licitorum ecclesiis debita. Passim vero dividuntur in praediales, personales & mistas. Praediales debentur ex fructibus & proventibus praediorum, idque sive praedia urbana sive rustica sint. Praedia urbana vocant jurisconsulti aedificia omnia habitandi caussa sive in urbe sive extra edificata (a): rustica vero sunt agri, vineae, silvae, item aedificia non habitandi caussa praeparata, veluti stabula, ovilia (b). Personales sunt decima pars rerum, quas industria & arte sua homines parant, veluti ex lucro honestae negotiationis, militiae, venationis. Ubi vero fructus praedii ex venatione, piscatione, aut aucupio constarent, ex illis debitae decimae magis praediales, quam industriales habentur. Mistae demum ex praedialibus & personalibus participant, quales sunt, quae ex fructibus pecorum, veluti ex foetu, lacte, lana & similibus penduntur: ad hos enim fructus parandos & praedia & industria simul concurrunt.

Decimae debentur ecclesiae paroeciali.

§. VII. Jam vero decimae inter reditus ecclesiasticos veluti sacratiores & propria altaris dos habitae sunt, quod a Deo ipso institutae crederentur. Hinc ubi singulis ecclesiis proprii reditus sunt addicti, decimae ecclesiae paroeciali de-

(a) *L. CXCVIII. D. de V. S.* (b) *L. IV. §. 1. D. in quibus caussis pignus.*

debentur, easque parochi propter curam animarum percipiunt. Et primum quidem decimae, quemadmodum cetera bona ecclesiastica, ex natura sua erant sub episcopi dispositione ejusque auctoritate in usus ecclesiasticos tribuebantur (*a*). Successu temporis non secus ac oblationes, quae fiebant in ecclesiis agrestribus, salva plerumque episcopis quarta parte, ecclesiis paroecialibus tributae sunt (*b*). Congestis porro in ecclesias cathedrales divitiis etiam portio oblationum & decimarum episcopis reservata paroeciis cessit. Hinc invalvit regula, decimas intra fines paroeciae provenientes ad parochos spectare, quod jus veluti commune in decretalibus proponitur (*c*); docentque juris canonici interpretes, jus ecclesiae paroecialis ad decimas aperto jure niti, eique necessario pendendas, quando evidenter non constat, eas ad alium speciali titulo spectare. Paroeciae vero finibus jus ecclesiae paroecialis coërcetur; ita decimae personales debentur ecclesiae; in qua christiani suscipere tenentur sacramenta, praediales vero ecclesiae, in cujus finibus praedia sunt, etsi domini in alia paroecia morentur (*d*). Et mistae cedunt ecclesiae in cujus finibus animalia continuo pascuntur: & si per anni dimidium in una paroecia pascuntur, in altera

Inst. jur. can. T. V. I per

(a) *Can. LVI. C. 16. q. 1., conc. Roman. sub Nicolao II. can. V.* (b) *Conc. Parisiense VI, can. XXXI. capitul. reg. Francor. lib. VII. cap. 190.* (c) *Cap. XXIX. & seq. ex. de decim.* (d) *Cap. II. ex. de restitut. spoliator.*

per aliud dimidium, decimas inter eas dividi aequum est (a).

Decimae per se sunt corporales, & earum laici capaces.

§. VIII. Quamvis autem decimae ecclesiis paroecialibus, in quarum finibus proveniunt, debeantur; tamen ex legitima concessione aut possessione quadraginta annorum cum titulo, aut immemorabili possessione etiam sine titulo ab aliis ecclesiis, aut clericis, quin etiam laicis adquiri & possideri possunt. Quod ut intelligatur, distinguere oportet inter ipsas decimas seu fructuum species, & jus earum percipiendarum. Hoc utpote a spiritali cura dependens, proprium est parochorum, & inter spiritalia jura, quorum laici incapaces habentur, censetur. At decimae ipsae natura sua sunt res corporales, & eo ipso quod parochis penduntur aut debentur, naturam non mutant. Hinc recte theologi & canonistae post S. Thomam observant, jus decimas percipiendi tantum ecclesiae ejusque ministris competere, nec in laicos transferri posse; contra vero ipsas species etiam laicis concedi posse, & ab iis recte possideri (b). *Res*, inquit S. Thomas, *quae nomine decimarum dantur, corporales sunt. Unde possunt in usum quorumlibet cedere, & sic possunt ad laicos pervenire.*

Decimae infeudatae *laicis quaesitae*.

§. IX. Et sane ecclesiarum decimae, ut & reli-

(a) *Glos. in cap.* XX. *ex. de decimis*. (b) *S. Thomas* 2. 2. *q*. 86. *art*. 3. *Confer*. *Espen. par*. *II*. *tit*. 33. *cap*. 4. *n*. 8. *seqq*.

liqui earum reditus, mediis saeculis per Occidentem jure feudi laicis cesserunt, & hinc exortae decimae *infeudatae*, quae laicis ob militiam aut alia onera concessae sunt, vel quae a laicis invasae & longa tandem ecclesiae indulgentia dimissae veluti in feudum retinebantur. Pluribus vero modis decimae & alia bona ecclesiastica laicis in feudum quaesita. Principio (I) sacrum patrimonium laicis jure feudi regum dono & episcoporum consensu sive conniventia concessum: qui mos praesertim tempore Caroli Martelli in summa reipublicae & ecclesiae necessitate coepit (tum in Galliam undique potentissimi hostes praecipue Saraceni ingruebant); inde etiam ubi minus necessitas publica postulabat, a regibus continuatus est, quod Jo. Filesacus pluribus probat (*a*). Ipsi quoque (II) episcopi bona ecclesiarum etiam decimas viris potentibus & militibus in feudum dederunt, ut sibi eos conciliarent, & armatorum copias pararent, quibus ad bellum de more proficiscentes, ad tuenda bona ecclesiastica contra invasores, & alias necessitates uterentur (*b*). Non erat mediis saeculis copia nummorum, atque adeo vice stipendiorum bona ecclesiarum episcopi militibus dare saepe coacti sunt. Porro (III) ex episcopis multi consanguineos suos decimarum & oblationum concessione locupletarunt (*c*). Et IV. in tanta confusione, quanta mediis saeculis respublica & ecclesia obruta est, laici multi minus religiosi in bona ecclesiarum & decimas manus in-

 je-

(a) *Filesacus de sacrilegio laico*. (b) *Petrus Damianus lib. I. ep.* 19. (c) *Can. III. C.* 16. *q.* 7.

jecerunt easque longa occupatione usurparunt (a) Translata autem ecclesiarum bona & decimae *ecclesiae* & *altaria* dicebantur (b). Et quoniam a regibus & episcopis concedebantur propter servitia militaria aut alia onera, hinc ecclesiae eo jure a laicis haberi & possideri coeperunt, quo cetera beneficia seu feuda, adeo ut in commercio essent & in heredes transirent (c).

Ecclesia urget decimarum infeudatarum restitutionem.

§. X. Interim aegre ferebat ecclesia, res pauperum a regibus jure feudi militibus concedi, & a laicis sicut cetera beneficia possideri, quando nulla publica necessitas id suadebat. Quin saeculo decimo & deinceps bona ecclesiarum a laicis repetere episcopi fortius adlaborarunt, saltem quae ab heredibus possidebantur, aut quae laici ipsi occupaverant (d). Etenim hac ipsa aetate, qua decimarum possessores exagitabantur, multi erant ecclesiarum milites, qui ex earundem bonis sine controversia stipendia accipiebant, quod Petrus Damianus testatur (e). Antiquiores concessiones videbantur factae, quatenus necessitates ecclesiarum durarent & ad vitam accipientium, occupationes vero nullo titulo sustinebantur: atque adeo justum videbatur, ecclesiam in integrum restitui. At dulce erat laicis vivere de bonis

(a) *Confer. Murator. diss. LXXII. antiq. Italicar.*. (b) *Confer. Cangius v.* altaria, *&* ecclesiae. (c) *Petr. de Marca not. in can. VII. conc. Claromont.* (d) *Confer. Thomass. part. III. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 2. (e) *Petrus Damian. lib.* I. *ep.* 19.

nis ecclesiasticis, durumque iis habebatur, acceptas a majoribus ecclesias & decimas restituere. In hoc rerum statu adhuc crudo vulneri extrema remedia pro prudentia sua ecclesia non adhibuit, quod male cederet severitas intempestiva; sed multis decretis laicos veluti sacrilegos traduxit, ad restituendum exhortata est, & aliquando excommunicationum minas, sed minas tantum, intentavit. Interim vero variis delinimentis rei ecclesiasticae consuluit, & veluti ad sanitatem vulnus emolliebat & praeparabat. Sane statutum, ne laici, qui ecclesias tenebant, in presbyteros dominatum, excercerent (a): iidem quoque jussi tertiam decimarum partem una cum primitiis integram presbyteris relinquere (b): permissum etiam decimas hereditario jure possessas idoneo clerico concedi ea conditione, ut postea ad ecclesiam, cujus juris erant, reverterentur (c). Quibus aliisque decretis inhaerens concilium Lateranense sub Alexandro III. prohibuit, *ne laici decimam cum animarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre: si quis vero receperit & non reddiderit, christiana sepultura privetur* (d).

Quae decimae infeudatae licite a laicis possidentur.

§. XI. Sed tandem, quod operosum fortasse esset, sacram praedam a laicorum manibus excute-

(a) Conc. Bituricense an. CIↃXXXI. can. XXI. seq. (b) Conc. Tolosan. an. CIↃLVI. can. XI. (c) Conc. Abrincatense an. CIↃCLXXII. can. IX. (d) Cap. XIX. ex. de decim.

tere, a pristina sententia ecclesia recessit, & damnatis novis adquisitionibus, decimae in feudum antiquis possessoribus relictae sunt: idque passim concilio Lateranensi sub Alexandro III. adscribunt, quod in eo vetitae quidem sunt novae in laicos decimarum translationes, at veteres non rescissae. Sed recte observatum Thomassino (*a*), ejus concilii verba & sententiam ne transversum quidem ungem a superioribus decretis deflectere, aperte enim habent, cum periculo suarum animarum laicos decimas retinere. Et hinc quî exsculpi potest, ejus concilii auctoritate legitimas evasisse antiquas decimarum infeudationes? Probabilius est, sub Innocentiô III. relictas fuisse laicis decimas pridem infeudatas; nam primus iste pontifex veluti justas & legitimas habet decimas a laicis ab antiquo possessas, modo consueta servitia ecclesiis praestentur (*b*). Ceterum recepta est doctrina, decimas a laicis ante concilium Lateranense sub Alexandro III. possessas licite retineri, non vero posteriores: quae doctrina praesertim invaluit post Alexandrum IV. qui aperte professus est, licite a laicis possideri decimas, quas *ante Latarenense concilium* in feudum perpetuo obtinuissent (*c*). Nam interpretes in his verbis pontificis concilium Lateranense sub Alexandro III videre sibi visi sunt, quod in eo prohibeantur laici decimas in alios laicos transferre, non vero cogantur possessas restituere. Sic itaque fert

(a) *Thomass. par III lib.* I. *cap.* 11.*n.*7. (b) *Innocent. III. lib.IV. ep.*9., *cap. XXV. ex. de decim.*
(c) *Cap. II.* §. 3. *eod. in* 6.

fert praesens disciplina, eas tantum infeudatas decimas a laicis recte possideri, quae ante concilium Lateranense sub Alexandro III. concessae sunt. Quod si non constet de tanta vetustate, sufficere ajunt immemorabilis temporis possessionem, qua justo titulo teneri praesumuntur (*a*). Sic vero a laicis possessae decimae tamquam bona patrimonialia & privata reputantur, & pro libito alienantur & in alios etiam laicos transferuntur, idque contra relatam concilii Lateranensis sententiam & Gregorii IX. decretum (*b*).

Bona ecclesiarum & decimae monachis & canonicis datae.

§. XII. Porro bona ecclesiarum etiam decimae & primitiae saeculis nono & sequentibus in canonicorum collegia & monachos pluribus modis devolutae sunt. Saepe ipsi episcopi ecclesias & decimas monachis & canonicis concesserunt ad instaurandam monasticam disciplinam & ad promovendam clericorum communem & regularem vitam, quae a Chrodogango instituta brevi per Occidentem propagata est. Summi quoque pontificis liberalitate ecclesiae & decimae XI. & sequentibus saeculis monasteriis & canonicorum collegiis addictae sunt. Major vero pars ecclesiarum & decimarum ad monachos & canonicos devoluta est laicorum dono; quod fieri coepit praesertim ubi episcopi tamquam scelestas & nefarias, atque adeo restituendas, detestati sunt ec-

(a) *Confer. Canisius ad tit. de decim. c. XIII. n.* 9. (b) *Cap. ult. ex. eod. Confer. Espen. par. II. tit.* 33. *cap.* 4. *n.* 38.

ecclesias & decimas in feudum, seu longa usurpatione a laicis possessas. Nempe tot exhortationibus & decretis bonam mentem induerunt moratiores: & quoniam ea tempestate monachorum in multis monasteriis & canonicorum disciplina in claustris florebat; contra vero singulares clerici omni vitiorum genere erat conspurcati; laici monachis & canonicis, quam clericis maluerunt a se detentas ecclesias restituere, aut ex illis nova monachorum & canonicorum monasteria excitarunt (*a*). Sciebant laici isti, bona ecclesiarum esse pauperum, & prout tum erant mores, magis de monachorum & canonicorum, quam de clericorum singularium pietate in pauperes confidebant. Nec in hoc rerum statu sibi monachi defuerunt; quin potius laicis currentibus calcaria addiderunt, illud inculcantes ad promerendum sibi Deum & vitam aeternam comparandam summopere valere monasteriorum fundationes aut dotationes. Saepe etiam longius prosilierunt, & a laicis minus religiosis ecclesias, decimas & oblationes praesenti pecunia compararunt.

Auctore episcopo decimae a laicis ad monachos translatae.

§. XIII. Pastoribus ecclesiae non ea erat tum vel potestas vel auctoritas, ut sibi potius quod suum erat, cogerent restitui: ideo necessario adquieverunt, ut laici bona ecclesiarum monachis cederent. Tantum decretum est, ut auctore & consensu episcopi aut pontificis monachi & ca-

(a) *Confer. Crhristian. Lupus not. in can. IX. conc. V. Gregorii VII. tom 6. oper. E. V.*

canonici a laicis ecclesias & decimas acciperent (a). Quod sane sacratiori disciplinae, quae in res ecclesiasticas inspectionem episcopis demandavit, conveniebat; & praeterea sperabat ecclesia fore tandem, ut necessitate episcopalis adsensus ecclesiae & decimae ad legitimos pastores redirent; nam debebant episcopi laicos prius admonere; ut potius ecclesiae restituerent; quod si isti non fecissent, tum translationi in monasterium aut collegium clericorum adsentiri, quod Innocentius III testatur (b), verum necessitas ista episcopalis adsensus non adeo profuit ecclesiis paroecialibus; nam episcopi faciles erant ad adsensum, & si quando consentire detrectabant, praesto erat pontificis auctoritas, qua translationes ecclesiarum a laicis ad monachos probarentur (c). Faciles autem erant episcopi ad adsensum túm laicorum in clericos morositate, tum quod eo nomine aliquid lucri ad eos redibat. Nam semper ac novus presbyter ecclesiis translatis dandus erat, certa pecuniae quantitas ab episcopis exigebatur, quae solutiones *altarium redem'iones* dicebantur (d); & praeterea iisdem annuus census pendebatur, quo constaret de jure episcopali in translatas ecclesias. Redemtiones altarium, quod pro danda animarum cura pendi viderentur, velut simonicae in concilio Claromontano sub Vrbano II damnate sunt,

 sed

(a) *Conc. Roman. an. CIↃLXXVIII. can. IX.*, *conc. Melphit. an. CIↃLXXVIII. can. II.* (b) *Cap. VII. ex de his quae fiunt a prael. sine cons. capit.*
(c) *Conc. Melphitan. sub Vrbano II. can. V.*
(d) *P. de Marca in can. XII. conc. Claromont.*

sed veluti legitimus relictus est annuus censu (*a*). Et profecto non recte Goffridus Vindc ciensis etiam annuum censum veluti simoniacu exagitavit (*b*): etenim non pro cura animaru sed potius ut constaret de jure sacerdotii in tran latas ecclesias, pendebatur, quod Thomassini pluribus illustrat (*c*).

Quo jure monachi decimas possideant.

§. XIV. Translationes autem istae ecclesiaru & decimarum in monachos id incommodi hab bant, quod ex altari viverent, qu i altari non se viebant (*d*), monachi nempe, qui ex monastic disciplinae institutis contemplationis & assid manuum labori erant mancipati. Ipsi cordati res monachi videbant rei turpitudinem, eoque n mine multi praepositos suos, qui decimas restitue ecclesiis nolebant, tamquam sacrilegos reput bant, atque adeo in eorum communione viver nefas esse docebant. Hinc exorta in monaster schismata: & reapse qui postea Cistertienses a dierunt, quod nefarium judicarent, decimis tu gere monasteria, secessionem a suo monasterio fec runt, & ad Cirstetii eremum novum instituer ordinem, qui propriis laboribus viveret (*e*). Et hoc rerum statu videntur conscriptae litterae s nomine Hieronymi ad Damasum papam, q bus docetur, nefas quidem esse decimas a lai pos-

(a) *Can. IV. C.* 1. *q.* 3., & *can. III. inter Cl romont. a Baluzio editos*. (b) *Goffrid. Vindocie. lib. III. ep.* 12. (c) *Thomass. part. III. lib.* 1. *c.* 10. (d) *Ivo Carnotens. ep. XII. ad Vrban.* (e) *Sigebert. Gemblacensis ad an. CIↃCVII.*

possideri, at inde consensu episcopi recte monachis addici (a); ut scilicet tanti doctoris auctoritate monastici fluctus componerentur. Verum etsi monachi capaces non viderentur decimarum, quod altari non deservirent, saltem eas eleemosynae titulo poterant habere: quae sententia Jvoni Carnotensi, B. Bernardo & inde S. Thomae probata est (b). Quid enim aliud sunt bona ecclesiarum quam pauperum patrimonium? Et initio omnes monastici ordines pauperes fuerunt. Ipsi quoque laici decimas aut ecclesias apud monachos deposuerunt, quod eos fideliores rerum pauperum administratores reputarent. Hinc titulo potius administrationis quam propietatis ecclesias aut decimas monachi tenent: atque adeo modica parte sibi delibata, reliquum in pauperes & usus ecclesiasticos effundant oportet. *Certum & clarum est*, inquit Christianus Lupus (c), *quod decimas possidentia monasteria ac etiam canonicorum collegia seu capitula ad largas eleemosynas non tantum ex caritate, sed omnino ex rigida justitia obligentur*.

Decimae novales & minutae *speciali titulo cedunt paroeciae*.

§. XV. Jam vero ubi decimae laicis, monachis, aut canonicis concessae sunt, decimae *novales & minutae* speciali titulo ecclesiae paroeciali cedunt. Decimae *novales* ab *agro novali* dictae

 sunt

(a) *Can. LXVIII. C.16. q. 1.* (b) *Ivo Carnotens. ep. CXCII.*, *S. Thomas* 2. 2. 87. *art.* 3.
(c) *Christ. lupus schol. in concil. Roman. V. sub Gregorio VII. can.* 9. *tom.* 6. *E. V.*

sunt, qui jurisconsultis est terra praecisa, quae anno cessavit (*a*), & silva arboribus exstirpatis ad culturam redacta (*b*). At jure pontificio ubi agitur de immunitate decimarum a novalibus olim monachis concessa, novalis est *ager de novo ad culturam redactus. de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit* (*c*). Ita in ea caussa merito Innocentius III novalem agrum stricte descripsit, ne latiori sensu acceptis novalibus ecclesiae paroeciales gravarentur. Quod si decimae ad laicos monachos, aut canonicos translatae sint, novales plenius accipiunt interpretes, atque adeo intelligunt & agros de novo ad culturam redactos & porro agros cultos, qui ex loci consuetudine fructus decimales non ferebant, nova vero cultura ferunt (*d*). Novales hac notione accepti si in paroecia fiant, eorum decimae speciali titulo ad ecclesiam paroecialem pertinent, etsi ab antiquo laici, monachi aut canonici decumani sint (*e*). Id jure cautum est, ut quam minimum jura paroeciarum laedantur: atque ita antiqua concessio aut possessio ad decimas, quae tempore adquisitionis percipiebantur, restricta est. Eodem jure censentur decimae *minutae*, quae ex fructibus minoribus nec magna copia provenientibus debentur, veluti ex leguminibus, oleribus & similibus minoribus frugibus. Scilicet & istae speciali titulo pertinent ad ecclesiam paoecialem; etiam ubi majores

(a) *L. XXX.* §. 2.*D. de V. S.* (b) *L. III.* § 2. *D. de termino moto*. (c) *Cap. XXI. ex. de V. S.* (d) *Confer. Espen. part. II. tit.* 33. *cap.* 6. *n.* 8. (e) *Cap. XXIX. ex. de decim.*

res decimae ab aliis percipiuntur (*a*), ne multum damnum ſentiant paroeciae, quibus cura animarum demandata eſt. Ita in decimis novalibus & minutis veluti quoddam ſpicilegium relictum eſt parochis poſt decumanorum meſſem uberiorem. Ceterum decimae novales duobus caſibus parochis non cedunt, puta ſi paroeciae monaſteriis & capitulis incorporatae ſint, quo caſu vicario ſeu parocho tantum congrua ſuſtentatio debetur (*b*); & ſi ſpeciali privilegio aliis concedantur (*c*).

Qui ad ſolvendas decimas adſtricti.

§. XVI. Jure communi eccleſiaſtico decimarum praeſtatio chriſtianis omnibus impoſita eſt (*d*); debentur enim propter curam animarum, quam eis eccleſia exhibet. Quin ad praediales decimas quotquot in paroeciae finibus praedia poſſident, etiam Judaei obligantur (*e*): decimae enim iſtae veluti fundis inhaerent, & ex placitis juris canonici in ſignum univerſalis dominii Deo reſervatae ſunt (*f*). Ipſi quoque reges in primis Carolus M. praedia ſua decimis ſubjecerunt (*g*). Et apud nos decimae eccleſiis ex quibuſcumque regiis vectigalibus pendebantur (*h*). Porro clerici, qui jure proprio curam animarum non exercent, ſed

(a) *Michaël du Perrdy de portione congruae part. II. cap.* 30. (b) *Eſpen. diſſ. de eccleſiar. incorporat. cap. II.* §. 4. (c) *Cap. II.* §. 1. *de decim. in* 6. (d) *Confer. Gonzalez in cap. IV ex. decim.* (e) *Cap. XVI. ex. de decim.* (f) *Cap. XXVI. ex. eod.* (g) *Capit. Caroli M. de Villis cap. VI. ap Baluz. tom,* 1. *p.* 332. (h) *Carolus II. capit.* Et quia nuper *CLXXXVII.*

sed aliorum curae subsunt, ad decimas obligantur, quod ex concilio Romano sub Paschali II constat, ubi dicitur quidem *novum genus exactionis esse, ut clerici a clericis decimas exigant*; tamen mox additur, clericos, *qui a clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt*, ad decimas obligari (a). Multo magis monachi & religiosi ex juris canonici principiis ad decimas de terris & laboribus suis pendendas adstringuntur: monachi enim ex disciplinae monasticae statutis non pascunt oves, sed pascuntur: atque adeo, teste Hjeronymo, munera ad altare inferre tenebantur (b).

Qui a decimis exemti.

§. XVII. Quamvis autem jure communi ad decimas pendendas omnes christiani obligentur; tamen ea obligatione solvi possumus praescriptione quadraginta annorum (*c*), conventione seu pactis conventis (*d*), voluntaria remissione (*e*), & in primis summi pontificis privilegio. Et quidem monachi & regulares in totum sive ex parte pontificum privilegiis decimarum onus excusserunt. Exstat sub nomine Paschalis II apud Gratianum fragmentum, quo monachi & clerici, qui communiter vivunt, a decimis laborum & animalium suorum eximuntur (*f*). Summa aequitate tum privilegia ista nitebantur: in novis enim rei monasticae reparationibus, quae saeculo decimo & duo-

(a) *Cap. II. ex. eod.* (b) *Can. VI. C. 16. q. 1.*
(c) *Cap. IV. VI. & VIII. ex. de praescript.*
(d) *Cap. II. & VIII. ex. de transf. act.* (e) *Cap. XXII. ex. de privileg.* (f) *Can. XLVII. C. 16. q. 1.*

& duobus sequentibus factae sunt, monachi exigua praedia possidebant, eaque propriis laboribus excolebant, & praeterea in pauperes effusi erant & liberales. At brevi monasteria multiplicata & eorum praedia numero aucta; atque ita propriorum laborum decimae monachis relaxatae debitis stipendiis altaris ministros defraudabant. Ergo Hadrianus IV privilegium restrinxit, tantumque Cistertiensibus, Templariis & Hospitalariis *decimas laborum suorum, quos propriis manibus vel sumtibus colerent, indulsit*; ceteris vero tantum novalium, quos itidem ipsi propriis laboribus aut expensis colerent, item animalium & hortorum suorum decimas relaxavit, quam restrictionem Alexander III confirmavit (*a*). *Labores*, quos propriis manibus & sumtibus monachi colebant, erant ipsa praedia, & hinc *cultura laboris* in antiquis monumentis (*b*): novales vero erant agri inculti & senticosi a monachis in culturam redacti. Modificatio ista, praesertim quod spectat Cistertienses, incommoda non excidit, nam brevi creverunt magno numero eorum abbatiae & latifundia, & praeterea ad fundos, quos conducebant aut aliis dabant excolendos, sibi concessum extendebant privilegium (*c*). Hinc controversiae inter Cistertienses ecclesiarum praelatos: quibus primum ipsi Cistertienses & inde Innocentius III in concilio generali finem aliquem imposuerunt: etenim ita tu-

---

(a) *Cap. X. ex. de decim.* (b) *Confer. Cangius v.* labor. (c) *Cap. VI. & XI. de decim. in compilat. ap. Anton. August.*

tutum, ut quae praedia deinceps monachi isti aaquirerent, decimis essent obnoxia, etsi ea propriis manibus vel sumtibus colerent: quod ad alios regulares, qui similibus privilegiis aucti erant, extensum est (*a*) Vix est, ut desueto apud monachos manuum labore, hodie sic expressa privilegia eos a pendendis decimis eximerent. At Cistertienses aliique monachi & regulares plurima posteriora proferunt privilegia, quibus amplior illis a decimis exemtio conceditur, quam privilegiis in codicibus juris exstantibus expressa est. Quibus privilegiis, ubi recepta sunt, ita monachos & regulares uti oportet, ne paroeciae admodum graventur (*b*).

Qui decimae pendendae.

§. XVIII. Quicumque autem ad decimas adstricti sunt, eas sponte sua praesertim ecclesiis paroecialibus exhibere debent; habentur enim veluti tributum Deo debitum, unde altaris ministri & pauperes alantur. Et quidem decimae praediales non deductis expensis praestandae, industriales vero patiuntur exspensarum deductionem, quod Innocentius III respondit (*c*). Sed quae est istius differentiae ratio, quando & naturales & civiles fructus nisi deductis expensis jure non intelliguntur? Id factum ait Canisius (*d*), quod praediales decimas in signum universalis dominii sibi Deus reservaverit, ac proinde prout e ter-

(a) *Cap. XXXIV. ex. de decim.* (b) *Confer. Espen. par. I. tit. 33. cap. 7. n. 41.* (c) *Cap. XXVI. & XXVIII. ex. de decim.* (d) *Canis. ad tit. de decimis cap. II. n. 8.*

e terra nascuntur, debeant. Quod si decimas sponte christiani non exhibeant, & ad eas pendendas morosi sint, etiam per excommunicationem cogi possunt: quod in capitularibus regum Francorum & in decretalibus cautum est (a). Et Tridentini patres edicunt, excommunicari, qui decimas aut subtrahunt aut impediunt, nec ab eo crimine nisi post integram restitutionem absolvi (b). At hoc Tridentinum decretum nec alibi, nec apud nos receptum fuit. Quid quaeso opus est, ecclesiasticas diras adhibere, quando praesto sunt judices ordinarii, qui reluctantes ad decimas cogant? Et sacris canonibus, nisi pro gravioribus caussis, excommunicationum jacula evibrare interdictum est. Immo in exigendis decimis nec avaritiae nec turpis lucri suspicionem decumanos ecclesiasticos edere oportet(e), a pauperibus vero nihil exigere.

In materia decimarum servandae locorum consuetudines.

§. XIX. Hactenus dicta de decimis procedunt ex generali decretalium regula, qua ex omnibus fructibus & lucris decimae debentur, & quidem integrae; & praediales non deductis expensis. Ceterum in tota hac materia standum receptis ecclesiarum moribus (c), nec ferme ullo in loco ex decretalium regula decimae penduntur. Ni-

(a) *Capit. reg. Franc. lib. II. cap.* 38., *cap. V. ex. eod.* (b) *Trid. sess. XXV. de ref. cap.* 12.
(c) *Confer. Molanus in orat. de defendend. decim. cap. XII.* (d) *Confer. Espen par. II. tit.* 32. *cap.* 2.

mirum decimae plerumque invitis indictae sunt, & hinc ex canonum regula non videntur receptae, sed potius moribus suis eas christiani modificati sunt diversimode, & secundum receptos mores deinceps solutae sunt, canonica jurisprudentia non invita: etenim decretales pontificum, quae alias generaliter loquuntur, saepe secundum receptos mores decimas pendi jubent *(a)*. Nec tantum in hac caussa mores primum recepti valere debent, verum etiam qui postea inducti sunt; etenim contrariis moribus jure decimarum possunt desuescere, & certis finibus cogi, modo altaris ministris alia ratione suppeditentur alimenta *(b)*. Et reapse postquam paroeciae aliis bonis auctae sunt, sensim obligatio ad decimas decrevit, & ipsi recepti mores aliam formam induerunt. Itaque decimae praediorum urbanorum & personales in plerisque ecclesiis exoleverunt, atque adeo decimae ad solos fructus naturales restrictae. Quin nec ex omnibus terrae fructibus, nec earum nomine decima pars solvitur, sed minor pars prout populorum mores habent: quae pars etsi decima minor sit, adhuc decima audit: nec novum est, ut antiqua nomina etiam rebus mutatis retineantur.

Ecclesiae etiam datae primitiae.

§. XX. Praeter decimas etiam *primitiae* inter reditus ecclesiasticos relatae sunt. Nomine *primitiarum* veniunt primae fructuum obventiones. Naturae ipsius vox est, gratias devotas Deo agen-

---

(a) *Cap. XX. & XXXII. ex. de decim.* (b) *Confer. Gonzalez in cap. XX. ex. eod.*

gendas pro tot bonis, quae ejus summo beneficio e terra in dies erumpunt. Hinc antiquissimi instituti est, etiam apud gentes, fructuum primitias Deo offerre & consecrare, quod Gutherius, Pitiscus & Spencerus pluribus probarunt. Apud Judaeos etiam ex divino praecepto primitiae debebantur, earumque mensura moribus majorum potius, quam ipsa lege praescripta erat (a). Etiam inter christianos usus primitiarum receptus, & quidem longe ante decimas: testatur enim Origines (b), christianos primitias obtulisse ad honorandum Deum, cujus erant omnia, & cujus virtute terra fructus omnes ferebat suos. Magis vero invaluerunt postquam ecclesiae patres, non secus ac decimas, etiam primitias a christianis jure divino deberi docere coeperunt (c): qua in re civiles Judeorum leges in rem christianam transferebant. Primitiae autem ex spicis & uvis secundum sic dictos canones apostolicos ad altare offerebantur, ceterae vero ad episcopi domum (d): quae eadem fuit ecclesiae Africanae disciplina (e). Peculiari prece primitiae ad altare delatae consecrari consueverant: ideo vero primitiae ex spicis & uvis videntur ad altare oblatae, quod inde elementa ad eucharistiam proveniebant. Spectabant quidem primario primitiae ad gratias creatori reddendas; at inde etiam

L 2

(a) *Hieronym. in Ezechiel. cap. XLVI.* (b) *Origen. contra Celsum lib. VIII.* (c) *Origen. hom. XI. in Num. 18.*; *Hieronym. com. in Malach. cap. III.*
(d) *Can. apostol. can. IV. seq.* (e) *Cod. Afric. can. XXXVII.*

tiam clerici vivebant: de primitiis enim, quae in episcopi domum mittebantur, id etiam habent apostolici canones: *certum est, quod episcopus & presbyteri dividant & diaconis & reliquis clericis*(c). Receptus in ecclesia primitiarum usus diu perduravit, earumque fata eadem, quae decimarum ferme fuerunt. Et in praesenti disciplina tum jure exiguntur, si id loci habeant consuetudines (d).

☞ *Decimarum, ac Primitiarum solutionem ex generali Canonum præscripto particulares nostri Regni Synodi, quæ juxta Tridentini Concilii decreta celebratæ fuere, ubique urgent. Quinimo pœnas canonicas denegationis scilicet sacramentalis absolutionis, & excomunicationis hujusce legis violatoribus minitantur. Id præcipuè observari fas est in Const. Synodalibus Metropolitanæ Ecclesiæ Montis Regalis sub Alexandro Farnesio Car. S. R. E. hujus Ecclesiæ Archiepiscopo ann.* 1574. *editis, nec non in quatuor messanensibus Synodis priore sub Antonio Lombardo anno* 1588. *altera sub Andrea Mastrillo anno* 1621. *tertia sub Simeone Carafa anno* 1648. *quarta demum sub Josepho Cicala anno* 1671. *celebrata, tum etiam in quatuor Mazariensibus Conciliis, ac duobus Catanæ habitis.*

Verum has Ecclesiasticas siculas leges multo ante præcesserat Friderici Imperatoris ac Regis nostri religiosa constitutio, relata in lib. Constit. Regni Siciliæ tit. 7. *de decimis præstandis, quæ ita decimarum solutionem favore Ecclesiarum distictè præcipit ,, Officialibus nostris universis, & singulis ,, præ-*

(a) *Cit. can. apost.* (b) *S. Thomas* 2. 2. 8. *art.* 4.

„ *præsentis legis auctoritate mandamus, ut decimas integrè, prout Regis Guilielmi tempore Consobrini, & predecessoris nostri ab antecessoribus officialibus & Bajulis exsolutæ fuerunt, locorum prælatis exsolvere absque omni difficultate procurent. Nos enim, qui favente domino inter homines sumus in præeminenti culmine constituti quantum sine injuria nostrorum Regalium possumus tolerare Ecclesiarum jura, & quas sub protectione recepimus, & habemus,in ullo diminuere volumus, sed augere. Subjectis etiam nostris indicimus, ut decimas, quas de feudis, & bonis suis antecessores eorum prædicti Regis Guilielmi tempore præstiterunt venerabilibus locis, quibus decimæ ipsæ debentur, cum integritate persolvant.*"

Hodie tum circa decimarum, ac primitiarum solutionem tum etiam circa genera, ex quibus ea debentur locorum statuta; ac Ecclesiarum privilegia sunt perspicienda. Et in nonnullis Regni nostri Oppidis adhuc vigent, variisque tribunalium sententiis, aut edictis confirmata.

CAPUT XL.

De recto rerum ecclesiasticarum usu.

Penes ecclesiam est dominium rerum ecclesiasticarum.

§. 1. HActenus varia ecclesiarum bona & reditus exhibuimus, videndum nunc, qui eorum usus esse debeat: quae tractatio in re ec-

ecclesiastica magni ponderis est. Ut vero ordine suo omnia procedant, ante omnia inquirendum, penes quem sit harum rerum dominium. Multi illud adscribunt pauperibus, quidam Deo, quidam rursus pontifici; alii clero, alii aliter, quorum omnium sententias Franciscus Sarmiento expendit & explodit (a). Verior sententia est, dominium bonorum ecclesiasticorum esse penes ecclesias particulares, ex christianis & pastore suo constantes, quibus bona addicta sunt, quam sententiam viri doctiores, in primis Paulus Sarpus (b), tenent. Dominii autem nomine dominium civile seu privatum intelligimus, quo sit, ut homines rerum suarum habeant proprietatem. Sane particulares ecclesiae universitates seu collegia quaedam constituunt: quibus proinde res ecclesiis donatae aut relictae adquiruntur. Vulgatum est, universitates & collegia aeque bona possidere iisque frui posse in republica, ac quidem singulos privatos. Porro civiles leges, quarum auctoritate in civitate dominia continentur (c), collegio catholicae ecclesiae donari & relinqui permiserunt (d): ut hinc plane constet, penes collegium christianorum esse rerum relictarum & donatarum, seu alias quaesitarum, proprietatem.

Nomina bonorum ecclesiasticorum explicantur.

§. II. Variis autem nominibus bona ecclesiarum

(a) *Sarmient. de reditib. ecclesiast. par. I. cap. 1. n. 14. seqq.* (b) *Sarpus trattato delle materie beneficiarie n. XXI. q. 2.* (c) *Can. I. D. 8.* (d) *L. I. C. de sacros. eccles.*

rum in antiquis canonibus & patrum scriptis appellantur: modo enim dicuntur *Deo relicta vel sacrata, vel possessio & patrimonium Dei vel Christi*, modo *patrimonium pauperum*, modo *vota fidelium*, modo *pretia peccatorum*. Profectae sunt appellationes istae vel a mente offerentium, aut ab usu, in quem illa debent impendi; nec arguunt civile eorum dominium esse penes Deum aut pauperes. Et quidem bona ecclesiarum dicuntur *Deo sacrata vel Christi patrimonium*, quod ecclesiae, cujus Christus caput est, oblata sunt; aut ex mente offerentium, qui Christum in pauperibus induere intendebant. Appellatio *patrimonium pauperum* inde profluxit, quod ex doctrina ecclesiae in pauperum usus sunt impendenda. *Vota fidelium* idcirco dicta sunt bona ecclesiarum, quia voluntas offerentium videtur fuisse, illa Christo offerre & quodammodo Deo consecrare & vovere, ut in usum religionis cederent. Dicta insuper sunt *pretia & redemtio peccatorum*, quod fideles iis tamquam eleemosynis peccata sua redimere cupiebant. Ita accipiendae sunt appellationes istae, nec recte inde concluditur, rerum ecclesiasticarum civile dominium vere esse penes Deum aut pauperes: nam etsi verum sit, omnia coeli & terrae ambitu comprehensa Dei esse; tamen civile dominium, quo res temporales in commercium deducuntur, Dei naturae non convenit (a): & porro pauperes certum collegium non constituunt, ac potius incertae personae repu-

(a) *Confer. Sarpius loc. cit.*

putantur, quae dominii incapaces sunt (a).

Res ecclesiae impendendae in usus religiosos.

§. III. Quando igitur rerum ecclesiasticarum civile dominium est penes ecclesiam, certe illas in usum religionis oportet impendi: nam finis ecclesiae est religionis exercitium. Hinc ex bonis ecclesiasticis alendi, qui altari serviunt; pauperes & miseri alendi & recreandi; ecclesiae aedificandae & sarctae tectae conservandae, vasa & indumenta sacra comparanda; haec enim omnia religionis exercitium spectant. Qui idem rerum ecclesiasticarum usus etiam ex mente offerentium colligitur: qui enim res suas Christo obtulerunt, id certe habuerunt in votis, ut illae in usum religiosum insumerentur, quod patres Aquisgranenses anno IϽCCCXVI docuerunt, *ut ex his* (bonis nempe ecclesiae oblatis) *& milites Christi alerentur, & ecclesiae exornarentur, & pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur* (b).

Jus clericorum ad sustentationem ab altari.

§. IV. Qui omnium primi de rebus ecclesiasticis vivere debent, procul dubio sunt altaris ministri, hi enim spiritualia populo procurant, ac proinde ex universitatis & altaris bonis alimenta percipere debent. Hinc Christus apostolos suos ad evangelii praedicationem mittens, nihil eos possidere voluit, ut sic expeditiores in suum munus incumberent; idque *quia dignus est operarius cibo suo*, ut est apud Matthaeum (c); seu

---

(a) *Confer. Sarmient. loc. cit. n.* 19. (b) *Conc. Aquisgran. can CXVI.* (c) *Matth. v.* 10.

mercede sua, ut Lucas expressit (*a*). In primis vero apostolus jus clericorum ad sustentationem argumentis juris naturalis, Mosayci & evangelici adseruit & proposuit. Demostraturus enim sibi & Barnabae jus esse de evangelio vivere, haec habet *quis militat suis stipendiis umquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?... An* & *lex haec non dicit: scriptum est in lege Moysi, non adligabis os bovi trituranti ... si nos spiritualia vobis seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?... Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt: & qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita & dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere* (*b*).

Quale debet esse clericorum servitium.

§. V. Jus autem, quo clericis ab altari praestari oportet alimenta, procul dubio ab altaris servitio profectum est. *Dignus est operarius cibo suo*. Sed quale esse debet istud clericorum servitium? Id expresserunt Christus & apostolus, ille exemplo operarii, hic militis, agricolae, pastoris. Continuum itaque & juge clericorum ministerium esse oportet secundum gradum, quem singuli in ecclesia obtinent; operarii enim, milites, agricolae, pastores integram substentationem & mercedem non accipiunt, nisi continuas impendant operas. Ad rem Cyprianus (*c*) clericos sui temporis describens, ait, eos tamquam de-

(a) *Luc. X. 7.* (b) *1. ad Cor. IX. v. 7. seqq.*
(c) *Cyprian. ep. I.*

decimas ex fructibus oblationes fidelium & sportulas accipere, *ut ab altari & sacrificiis non recedant, sed die ac nocte caelestibus rebus & spiritualibus serviunt*. Et Gregorius M. (a), *ecce ex oblatione fidelium vivimus, sed quid pro animabus fidelium laboramus? Illa in stipendium nostrum sumimus, quae pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt; nec tamen contra peccatum eorum vel orationis studio, vel praedicationis, ut dignum est, insudamus*. Quae quum ita sint, toto caelo errant, qui docent, sola horarum canonicarum recitatione etiam privata clericos in vinea domini dici laborantes, eoque nomine clericalia stipendia recte percipere (b). Papae! quae foret ista clericorum felicitas! Parvi temporis spatio horis canonicis impenso operarii nomen mererent. Tantilla pars totius clericalis officii est horarum canonicarum recitatio, adeo ut cum integro pastorali officio comparata paene nulla sit.

Perfectiores clerici sua bona abdicabant.

§. VI. Ex evangelio & altari satis habentes clerici ad sustentationem, non pauci in veteri disciplina sua omnia bona abdicabant, statim ac ad clerum eligebantur, nisi ante propter Christum sua omnia reliquissent (c). Amplecti sic cupiebant evangelicam perfectionem, atque ita non in dignitatem tantum & munus, sed etiam in apostolorum virtutes succedere. Haec plane ab-

---

(a) *Gregor. M. hom. XVII. in Lucae verba* dignus est operarius mercede sua. (b) *Confer. Espen. par. II. tit. 31. cap. 2. n. 19.* (c) *Confer. Thomass. par. III. lib. 3. cap. 2. seq.*

abdicatio rerum omnium terrenarum breviſſima & tutiſſima via eſt ad eam perfectionem, qua quis nihil foris poſſidens, Deum poſſidet, & a Deo poſſidetur; qui clericatus proprie genius eſt, ut Hieronymus obſervat (*a*). Nihil Deo par, nihil ſecundum, unus ipſe ſine fine, ſine modo beatiſſima poſſeſſio eſt: & poſſideri cumulate vix poteſt, niſi unus poſſideatur. Non enim ea eſt mentis humanae amplitudo, quae illum & terrena ſimul complectatur. Hac mente ſanctiſſimi quique epiſcopi & clerici, in primis Ambroſius, Auguſtinus, Nepotianus ſua omnia reliquerunt, ut unum Jeſum Chriſtum poſſiderent, ac vere poſſent dicere *pars mea dominus*, & ad ſuum munus exſequendum eſſent expeditiores. Quin non defuerunt ex clericis, qui aſceſim longe provexerunt, & abdicatis rebus ſuis, in clero exiſtentes vacuum a munere eccleſiaſtico tempus exemplo Pauli apoſtoli opere manuali impenderunt, unde ſibi victum pararent, & haberent praeterea etiam ex laboribus ſuis ad pauperes recreandos, quod Epiphanius teſtatur (*b*). Perfectionis autem non neceſſitatis erat, ut in ſortem domini vocati ſua omnia ante relinquerent; nam temporalium poſſeſſio etiam in clericatu poterat retineri (*c*), niſi bono conditioni curiali eſſent obnoxia, quo caſu ex legibus imperii poſſeſſores, qui initiari clericatu cupiebant, ea curiae cedere vel in unum ex propinquis conferre debebant, ut ex iis

M 2 de-

(a) *Hieronym. ep. II. ad Nepotian.* (b) *Epiph. haer. LXXX. n. 6.* (c) *Can. apoſt. XL. al. XXXIX., conc. Antioch. can. XXIV.*

debita civilia munera recte possent expleri (*a*).

Merces clericis debita non est pretium laboris.

§. VII. Verum enimvero quamvis clericis, non secus ac ceteris laborantibus, pro suis laboribus merces debeatur; longe tamen hac in re ceteri laborantes & clerici inter se distant. Etenim quod ceteris laborantibus datur, est pretium laborum iisque respondet; merces vero clericorum pretii rationem non habet, nec est laborum finis, sed necessarium interim subsidium & levamentum, ne a sacris functionibus avocentur, aut ne in illis fatiscant. Gratis dent oportet ecclesiae ministri, quod gratis acceperunt: & qui in sacris ministeriis impenduntur, labores sunt extra commercium, nec pretio aestimari possunt. Si merces clericis debita laborum pretium esset, aut pro vera mercede acciperetur, merum esset rerum sacrarum mercimonium. Itaque Deo & ecclesiae omnino gratis & ex puro corde servire debent altaris ministri, in futuro regno coronam accepturi; quod vero interim accipiunt, est medium vitae sustentandae, quo in evangelizando subsistant. Est haec doctrina ad evangelii normam exacta & a patribus semper inculcata. *Non redditur*, inquit Augustinus (*b*), *sustentatio necessitatis a populo quasi merces illis, qui sibi in caritate serviunt, sed tanquam stipendium, quo ut possint laborare, pascantur*. Et S. Bernardus, *qui officium ecclesiasticum quaerit, aut*

(a) *Confer. Bingham. orig. eccles. lib.V. cap.* 3. §. 16. (b) *Augustin. lib. de pastoribus cap. II.*

aut tenet eo animo eoque intuitu, ut huic vitae habeat necessaria, perverso nimis ordine caelestibus terrena mercatur. Ex qua doctrina doctores post glossam veluti simoniae mentalis reum damnant canonicum, *qui interest officio divino principaliter pro denario (a)*. Quae cnum ita sint, veri altaris ministri non evangelizant, ut manducent; & propterea secundum eumdem Augustinum, *non in victu constituunt finem evangelizandi, sed ipsius victus sui finem in evangelio collocant.*

Qua moderatione vivere debeant clerici de altari.

§. VIII. Summa autem moderatione clerici omnes ad vitam sustinendam bonis ecclesiasticis uti debent, ut nempe necessariis alimentis contenti, cetera in pauperum levamen & pios usus impendant. Alimenta necessaria clericis debita censentur frugalis mensa, modesta & conveniens vestis & commoda habitatio. Nefas profecto est in res superfluas & vanas impendi Christi & pauperum patrimonium, & inde clericos genio indulgere. Porro clericorum vita a mensarum, vestium, supellectilium, aedium pompa & opulentia quam maxime abhortet. Qui enim sic animo esse debent comparati, ut nihil nisi sanctum, demissum, honestum, simplex mente volutent, quomodo saeculi pompas opiparasque mensas affectabunt? Hinc contenti esse debent clerici veste modesta & mensa frugali, & ex evangelio nil amplius quam necessaria quaerere. Quae est constans ecclesiae doctrina. *Ut episcopus*

(a) *Glos. in cap. unic. de cleric. non residen. in 6.*

pus inquiunt patres Cartaginienses (*a*), *vilem supellectilem & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suae auctoritatem fide & vitae meritis quaerat*. Eadem habent synodus Antiochena, Cabilonensis II., Parisiensis VI., Trullana, Nicaena II aliaeque synodi antiquiores (*b*). Vilia quoque & frugalia esse debere clericorum alimenta constanter docuerunt patres, exemploque suo aliis praeluxerunt (*c*): sed in re certissima non est testato agendum. Nec posteriori aetate ecclesiae doctrina alia fuit, quod pluribus canonibus constat, in primis vero concilii Tridentini decreto, ubi renovato concilii Carthaginiensis canone, jussi sunt episcopi non solum uti modesta supellectili & mensa frugali; verum etiam in reliquo vitae genere ac tota domo modestiam & simplicitatem, Dei zelum ac vanitatum contemtum exhibere; idque ab omnibus aliis beneficiariis pro gradus sui conditione servari statutum est (*d*).

Quibus nominibus clerici luxum excusarint.

§. IX. Propria quidem & intrinseca christiano sacerdotio est modesta & frugalis vita; at postquam ecclesiarum reditus creverunt, praesertim vero post adquisita feuda & instituta beneficia, multi ex clericis in alia omnia abierunt, atque adeo Christi patrimonium in luxum, ve-
stium

(a) *Conc. Charthag. IV. can. XV.* (b) *Conc. Antioch. can. XXV.*, *Cabilonense II. can. IV.*, *Parij. VI. can. XIX.*, *Trullan. can. XXVII.*, *Nicaen. II. can. XVI.* (c) *Confer. Thomass. lib. III. par. 3. cap. 34 seqq.* (d) *Trid. sess. XXV. de ref. cap. 1.*

ſtium vanitatem, magnificas domos, lauta convivia aliaſque ſaeculi pompas impenderunt, quod eccleſiaſtici annales teſtantur. Nec clericis tam male feriatis defuerunt praetextus, quibus vanitates & pompas tuerentur ſuas: Tempore Hieronymi epiſcoporum aliqui opipara convivia ſe parare dicebant ad excipiendos magiſtratus, ut ita eos ſibi & miſeris, pro quibus deprecari oportebat, conciliarent & benevolos redderent (a). Et ſaeculo XII. multi epiſcopi ſaeculi pompas excuſabant, ne *de ſingularitate* notarentur, quod tradit S. Bernardus. Dedecus ſibi inuri dictitabant, ſi ipſi inter alios, qui pompis & deliciis affluebant, miſelli viverent (b). Sed non eſt quod nobis illudamus, nullis nominibus excuſari umquam poſſunt clericorum pompae & luxus. Sane chriſtiani ſacerdotii dignitas non vanitate & ſaeculi pompis, ſed fide, vitae ſanctitate & modeſtia conciliatur (c). Et quî quaeſo faſtu & pompis creſcere poteſt chriſtianum ſacerdotium, cujus eſt & verbis & exemplis mundi vanitates debellare & earum contemtum chriſtianis perſuadere? Hinc recte obſervatum Hieronymo, judices ſaeculi plus deferre clerico continenti quam diviti, & in clericis magis ſanctitatem quam opes admirari; intermittendas vero deprecationes, ſi judices tales ſint, ut tantum inter cyathos velint epiſcopos precantes exaudire. Similiter S. Bernardus reponebat epiſcopis, qui, ne tamquam ſingulares notarentur, pau-

(a) *Hieronym. ep II. ad Nepotian.* (b) *S. Bernard. ep. II. ad Fulcon.* (c) *Conc. Carthag. IV. can.* 15.

pauperum patrimonium in luxum impendebant, ut de medio aliorum exirent, ne aut in urbe singulariter viverent, aut aliorum exemplo perirent.

Clerici de suo divites vivere non possunt de altari.

§. X. Quamvis autem jure meritoque clerici altari servientes de altari vivant, tamen si iis satis ad vitam de rebus suis est, cessat jus ad vitam de altari sustinendam: & in hac specie possunt quidem retinere beneficia, sed inde redactos fructus in pauperes tenentur erogare. Nova prorsus videtur sententia ista plerisque ex nostris; at plane ex natura ecclesiastici ministerii derivatur, & sacris canonibus & doctrina patrum consecrata est, quod plenissime Thomassinus & Espenius (a) demonstrarunt. Sane quo casu clerici ex bonis suis habent ad vitam necessaria, cessat jus ad reditus ecclesiasticos, qui ipsis debentur non tamquam merces laboris, sed potius tamquam medium quo vitam sustentent. Voluit quoque Christus gratis exhiberi omnia religionis officia, *gratis accepistis, gratis date* (b): in quod praeceptum ut non impingunt, qui nihil habentes, alimenta ex rebus ecclesiasticis accipiunt, quibus ut possint laborare, pascantur; ita illud violare videntur, qui propris facultatibus instructi vivunt de bonis ecclesiasticis; nam labor, qui ad procuranda sacra officia impenditur, pretio non potest aestimari, & omnino gratis Deo servire oportet. Porro apostolici

sic

(a) *Thomass. part. III. lib.* 3. *cap.* 4. *& seqq.*, *Espen. par. II. tit.* 32. *cap.* 5. (b) *Matth.* X. *v.* 8.

sic dicti canones & Antiocheni episcopo bona ecclesiastica procuranti tantum εἰς ἑαυτὸ *si indigeat*, inde aliquid accipere permittunt (*a*). Et capitularia regum Francorum edicunt, ne clerico beneficium aut patrimonium habenti aliquid ex communi reditu accipere liceat, gravisque peccati reum pronuntiant clericum; qui sua possidens, ex bonis pauperum aliquid delibat (*b*). Concinunt sancti patres. *Si pauperum compauperes sumus*; inquit Augustinus (*c*); *& nostra sunt* (bona ecclesiastica) *& illorum: si autem privatim, quae nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus*. Et Julianus Pomerius (*d*); *nec illi, qui sua possidentes, dari sibi aliquid inde* (de bonis ecclesiasticis) *volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt*. Et ut multa alia mittam; ipse Gratianus docuit, sacrorum canonum & patrum auctoritate prohiberi, ut clerici, qui sua nolunt dimittere, de ecclesiae facultatibus pascantur (*e*).

Satisfit objectioni ex scripturis petitae.

§. XI. Sed quod synodi ipsae & patres tamquam certum proposuerunt, plures ex scholasticis negarunt, eorumque doctrina est, clericos beneficiarios privatis opibus instructos, recte suis

(a) *Can. apost. XLI., conc. Antioch. can. XXV.*
(b) *Capit. reg. Franc. in addit. lib. III. cap. 76 seqq.* (c) *August. ep. CLXXXV. ad Bonifac.*
(d) *Julian. Pomer. de vit. contemplat lib. II. cap. 10.* (e) *Grat. ad can. VI. C. 1. q. 2.*

proventibus parcere eosque augere, interim vero de bonis ecclesiasticis pro jure suo accipere sustentationem. Indulget genio sententia ista, quid ergo mirum si per omnium ora volitarit? Praecipuum vero argumentum, quo nititur, sunt ea divina oracula, quibus edicitur, dignos esse operarios mercede sua, & neminem suis stipendiis militare (a). Verum nisi mens laeva fuisset, facile potuissent observare, non eadem ratione aestimandam mercedem operariis ac sacris ministris debitam. Illa verum laborum pretium est, haec vero non pretii vicem sustinet, sed est merum vitae sustinendae subsidium: nam si laboribus responderet, & pro iis acciperetur, quid aliud hoc esset, quam ex evangelio quaestum facere? Hinc in comparationibus illis operarii & militis cum sacris ministris tantum spectatur sustentatio operanti debita, nec innuitur eodem jure utramque censeri, quod recte Estius observat (b). Tum recte clerici divites suis divitiis parcerent, & de altari jure viverent, si merces fidis pastoribus proposita laboris pretium esset. Porro nec a contextu avulsam Christi sententiam oportet interpretari. Equidem non ante legem de alimentis ex evangelio percipiendis Christus pronuntiavit, quam apostolos adduxisset, ut omnibus relictis, potius exempla quam praecones essent evangelicae paupertatis (c): in qua etiam constitutus apostolus sibi & ceteris apo-

(a) *Confer. Fagnan. ad cap.* si quis sane *ex. de pecul. clericor.* (b) *Estius com. in 1. ad Tim. V. v.* 18. (c) *Matth. X. 9. seq.*

postolis, qui sua omnia reliquissent, jus ad alimenta ex evangelio habenda, magnis argumentis adseruit (a).

Reditus ecclesiarum ferme in pauperes impendendi.

§. XII. Pauperes quoque & miseri reditibus ecclesiae alendi & recreandi, immo potior eorum pars in hanc rem impendi debet. In usum religionis bona ecclesiarum insumi oportere incompertis est: & quae major religio potest Deo exhiberi, quam Christum in pauperibus induere & fovere? Pauperes enim Christi fratres aut membra quodammodo reputantur; & quod pauperibus tribuitur, id sibi tributum Christus reputat. Offerentium quoque bona sua ecclesiis ea praecipue mens fuit, ut Christum in pauperibus alerent & vestirent. Praeceptis divinis obsequentes, ut peccata sua eleemosynis redimerent, ecclesiae tamquam pauperum altrici, quod ipsi poterant erogare, erogandum commiserunt. Hinc apud patres nihil frequentius occurrit, quam pauperum esse ecclesiae patrimonium. *Possessio ecclesiae* inquit Ambrosius (b), *sumtus est egenorum*. Et Julianus Pomerius (c), *nihil aliud sunt res ecclesiae, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum*. Similiter Gregorius M. saepe res ecclesiarum nomine patrimonii & rerum pauperum indigitat (d) Ecclesia quoque suis canonibus omni aetate edixit, patrimonium sacrum in pauperes erogan-

(a) 1. *ad Cor. IX.* (b) *Ambros. ep. XXXI.* (c) *Julian. Pomer. de vit. contemplat. lib. II cap.* 9. (d) *Greg. M. lib. V. ep.* 55. & 59.

dum. *Episcopus*, inquit synodus Antiochena (a), *habeat rerum ecclesiae potestatem, ut eas in omnes egentes dispenset*. Statuunt quoque sic dicti apostolici canones, in episcopi potestate esse res ecclesiasticas, ut *indigentibus omnia dispensentur* (b): & ejusmodi sexcentae aliae sunt regulae, quas Thomassinus exhibet (c). Quin tam alte insederat ecclesiae menti, res ecclesiasticas pauperum patrimonium esse, ut saepe in conciliis, qui eas invadunt, aut non recte procurant, *pauperum necatores* appellentur, quod necare videatur, qui debita negat alimenta, quod thema pluribus monumentis Gerardus du Bois & Joannes Launojus exornant (d). Utinam vero beneficiarii ecclesiae mentem intelligerent: nam in tanta rerum ecclesiasticarum copia pauperes sunt, qui minus participant: jamque observatum est viris doctis, clericos etiam hodie adserere bona ecclesiarum esse pauperum, scilicet si vindicanda sint, aliud vero agere, quando expendenda sunt.

Portio redituum fabricie & sacris instrumentis impendenda.

§. XIII. Porro redituum ecclesiasticorum pars insumenda ad ecclesias exstruendas & reparandas, & ad vasa & sacra indumenta comparanda: quae omnia ad externum religionis cultum, quo christiani colliguntur, pietas crescit & divina

---

(a) *Conc. Antioch. can. XXV.* (b) *Can. apostol. XXXXI.* (c) *Thomass. part. III. lib. 3. cap. 26. & seqq.* (d) *Gerard. du Bois hist. eccles. Parisiens. tom. II. lib. 16. cap. 7.*, *Launojus de cura eccles. pro miseris cap. IV.*

na beneficia christianis impertiuntur, necessaria sunt. Verum templa, vasa & vestes sacrae potius religione & pietate christianorum, quam magnificentia & splendore suo commendantur, Deoque placent; atque hinc religioso ornatu construenda & exornanda. Certe ad officium sacerdotis Ambrosius (*a*) spectare adfirmat, *ornare Dei templum decore congruo*. Et alio loco (*b*), *aurum sacramenta non quaerunt, nec auro placent, quae auro non emuntur*. Non displicebant quidem Hieronymo & Chrysostomo, si qui splendidiora templa aedificarent, aut vasa sacrasque vestes auro plurimo gemmisque nitentes ecclesiae offerent; tamen externo huic apparatui humanitatem in pauperes praeferebant (*c*). Et profecto a Christi religione alienum est, ecclesiam in parietibus & sacris instrumentis opulentissimam esse, pauperes vero esurire & prae fame animam tantum non efflare. Itaque exornentur ecclesiae, fulgeant auro gemmisque sacra instrumenta, sic tamen ut pauperibus alimenta non deficiant. Ceterum vetus morbus est; quo ferme posthabitis pauperibus, in magnifica & aurea templa & pretiosa instrumenta aeraria ecclesiarum effunduntur. Quos mores S. Bernardus jure meritoque exagitavit (*d*): *o vanitas vanitatum, sed non vanior quam insanior! Fulget ecclesia*

(a) *Ambros. lib. II. de offic. cap.* 21. (b) *Ambros. loc. cit. cap. XXVIII.* (c) *Hieronym. ep. VIII. ad Demetriad. Virgin.*, *Chrysost. hom. LI. in Matth. Confer. Thomass. part. III. lib.* 3. *cap.* 37. (d) *S. Bernard. apol. cap. XI.*

sia in parietibus, & in pauperibus eget. Suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit: de sumtibus egenorum servitur oculis divitum. Inveniunt curiosi, quo delectentur, sed non inveniunt miseri, quo sustententur. Plura, quibus vanitas ista coarguatur, vir pius & eruditus Jo. Merlo Horstius congessit (a). Tanta ecclesiarum pompa saepe ex praepostera pietate & ignorantia profecta est; saepe vero ex ipsa clericorum & monachorum plura habendi cupidine, qui ecclesias & sacra instrumenta pretiosius ornarunt, ut quaestus esset uberior; ea enim est hominum conditio, ut ubi amplius divitiarum cernitur, ibi libentius & effusius offerant, quod S. Bernardus observat (b).

Institutis beneficiis immutata stetit natura sacri patrimonii.

§. XIV. Haec est natura sacri patrimonii, ut necessario in religiosos usus impendi debeat, quae natura semper eadem stat, quaecumque sit exterior administrandi disciplina, atque adeo sive ipsi episcopi reditus omnes administrent, sive singulis beneficiariis propria portio cesserit. Equidem etiam post instituta beneficia, quibus certi reditus singulis ministeriis perpetuo adfixi sunt, rerum ecclesiasticarum dominium penes ecclesias remansit; genius clericatus idem est; servitus Deo gratis & ex puro corde impendi debet; & sustentatio, quae clericis debetur, non est pretium laborum, sed potius medium, quo in

(a) *Horstius not. in cit. Bernardi locum.* (b) *S. Bernardus loc. cit.*

in laborando subsistant. Hinc etiam post instituta beneficia, redituum ecclesiasticorum natura eadem est, atque idcirco etiam in pios usus debent impendi, nec inde ultra necessaria alimenta aliquid amplius licet clericis delibare. Et reapse in conciliorum canonibus, pontificum rescriptis & sententiis saniorum scriptorum post eam partitionem editis bona ecclesiarum, non secus ac ante, etiam dicuntur *patrimonium Christi*, *res Dei & patrimonium pauperum*, jubenturque clerici necessariis alimentis esse contenti (a) Instar omnium sit S. Bernardus, qui ita Fulconem adloquitur (b), *quidquid praeter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Institutis beneficiis tantum mutata est exterior reditus ecclesiasticos procurandi forma, & loco unius episcopi, qui ministerio diaconorum aut aeconomi res ecclesiasticas procurabat, tot emerserunt procuratores, quot sunt beneficiarii.

☞ *In hisce Canonicis Inst. T. I. c. 4. de principum legibus circa res Ecclesiasticas Ferdinandi II. & Carli II. Regum nostrorum leges retulimus, quae circa Ecclesiarum ædificationem tulerunt, quas huc iterum recensere ipsa instituti hujus ratio expostulat. Primus siquidem totius regni conventu flagitante, ut quartam partem reddituum & proventuum beneficiorum omnium Ecclesiis instaurandis addiceret, quintam partem ex omnibus redditibus, & proventibus Archiepiscopatuum, Episco-*

(a) *Confer. Espen. par. II. tit. 32. cap. 4. n. 6 & seqq.* (b) *S. Bernard. ep. II.*

scopatuum, Abbatiarum, Prioratuum, & beneficiorum regni nostri, huic operi applicandam voluit. Vide cap. 93. ejusdem inter Capitula Regni Siciliæ T. I. p. 575. & sequentibus. Alter vero Cap. 244. jus fecit Prælatis de quarta parte spolii disponere pro reparatione, & ornamentis Ecclesiarum. Vid. T. II. Cap. Regni. Hac de re præ oculis haberi quoque debet, quod statuitur a Visitatore Regio de Ciocchis in visitatione Regia Monasteriorum, & Abbatiarum Regii Patronatus. Hinc Ferdinandus III. feliciter regnans die 31. Maji 1777. Cathedrali Panormitanæ Ecclesiæ reparandæ quintam partem reddituum Archiepiscopalis mensæ adjudicatam voluit, & novam Deputationem eidem operi perficiendo creavit 6. Julii ann. 1778. Regales hasce constitutiones consonas esse statutis Synodorum regni nostri, in quibus Ecclesiarum ædificatio ac restauratio ubique promovetur, nemo ambigit, qui ea vel obiter pervolvat.

CAPUT XLI.

De rerum ecclesiasticarum procuratione.

Reditus dioecesis olim in unam massam confluebant.

I. NOmine procurationis rerum ecclesiasticarum intelligimus proventuum ecclesiarum in pios usus secundum ecclesiae & offerentium mentem erogationem. Veteri disciplina reditus ecclesiarum omnium unius paroeciae in commune ecclesiae principis seu cathedralis aerarium confluebant, ex quo singulis etiam infe-

feriorum ecclesiarum ministris alimenta praebebant (a). Ecclesiae omnes unius paroeciae sibi mutuo erant colligatae, & sub episcopo unam faciebant societatem, ad quam reditus omnes pertinebant. Praepositi quidem erant inferioribus titulis proprii presbyteri, at non simul reditus a communi massa sejuncti iis dati sunt. Quapropter episcopus clericos in inferioribus ecclesiis ordinabat, iisque etiam ex communi aerario sportulas praebebat. Initio sexti saeculi in ecclesiis Occidentalibus adhuc fundi omnes, qui paroeciis offerebantur, & simul tertia pars oblationum altari factarum ad ecclesiam principem pertinebant, ut synodus Aurelianensis I. anno ıɔxı celebrata decernit (b). Et in ecclesia Constantinopolitana ad medium saeculum quintum reditus omnes ecclesiarum inferiorum ad unam ecclesiam cathedralem confluxerunt, quod ex Theodro Lectore (c) intelligitur.

Episcopus administrabat bona omnia.

§. II. In commune ecclesiae principis aerarium reditus omnes confluentes jussu & auctoritate episcopi administrabantur: quae est antiquissima ecclesiae disciplina. Constat enim ex Justino Martire extra altare factas oblationes apud praepositum fuisse depositas, qui inde omnibus indigentibus portionem dividebat suam (d). Et Cyprianus notat, quod omnes, qui

(a) *Confer. Thomass. par. III. lib. 2 cap. 7. n. 2. & Bingh. orig. ecclesiast. lib. V. cap. 6* §. 1.
(b) *Conc. Aurelians. I. can. XV.* (c) *Theod. Lector lib. I.* (d) *Justin. martyr. apolog. II.*

qui ab ecclesia alimenta accipiunt, id habeant *episcopo dispensante* (a). Et canones sic dicti apostolici, Gangrenses & Antiocheni decernunt, penes episcopum esse rerum ecclesiae potestatem & ab eo dispensari (b). Praeerat episcopus universae ecclesiae, eique commissae erant fidelium animae, res nimirum pretiosiores, cui proinde justum erat, ut cura & inspectio temporalium daretur; praesertim quod tanto negotio fideliores vix poterant inveniri; qui enim ad episcopatum adsumebantur, longe ceteros virtutum merito anteibant. Interim sanctiores episcopi mole temporalium levari cupiebant, quae mens erat Augustino (c), ut expeditiores rebus spiritualibus vacarent.

Sed diaconorum & presbyterorum ministerio.

§. III. Procuratio ista temporalium episcopis demandata hominum suspicioni & detractioni erat obnoxia: & praeterea rebus temporalibus episcopos implicabat, atque ita a rebus spiritualibus plurimum distrahebat. Hinc alii testes & coadiutores episcopo procuranti accesserunt. Cui instituto ipsi praeluxerunt apostoli, qui ut expeditius evangelio insisterent, mensarum & temporalium curam diaconis demandarunt. Et apostolus in procurandis pecuniis, quas in ecclesiae levamen Corinthii contulerant, socios habere voluit, ne malae suspicionis daret occasio-

(a) *Cyprian. ep. XXXVIII. al XLI.* (b) *Can. apost. XXXI.*, *Conc. Gangrense can. VII. seq.*, *Conc. Antiach. can. XXIV. seq.* (c) *August. ep. CCXXV.*, *Possid. vit. August. cap. XXIII.*

sionem. Itaque ex antiqua disciplina episcopi res ecclesiae *cum presbyterorum conscientia diaconorumque* tractare debebant (*a*), erantque diaconi veluti episcopi subeleemosynarii, qui cognita fidelium paupertate episcopo renuntiabant, eisque quidquid accepissent, pro indigentia tribuebant (*b*). Archidiaconus autem erat episcopi quasi thesaurarius, cujus inspectioni praesertim in Occidente commissa erat temporalium procuratio. Et hinc liquet, cur praefectus ethnicus ante martyrium Laurentium archidiaconum interrogarit, ubi essent thesauri ecclesiae, sibique eos traderet (*c*). Quin in concilio Carthaginiensi IV statutum, *ut episcopus gubernationem viduarum, pupillorum ac peregrinorum non per seipsum, sed per archipresbyterum aut archidiaconum agat* (*d*).

Institutio oeconomi *ejusque officium*.

§ IV. Quoniam vero episcopi & diaconi multis aliis curis erant implicati, ubi reditus ecclesiastici crescere coeperunt, proprium ministrum instituì placuit, cui sub episcopo temporalium procuratio demandaretur, quem ministrum Graeci οἰκονόμον appellarunt. In Oriente in multis ecclesiis quarto saeculo oeconomi erant instituti, quorum testimonio & opera res ecclesiae administrabantur (*e*): at inde in con-

(a) *Concil. Antioch. can. XXV.* (b) *Const. apost. lib. II. cap.* 32. & *lib. II. cap.* 19. (c) *Prudent. in hymno S. Laurentii.* (d) *Conc. Carthag. IV. can. XVII.* (e) *Conc. Gangrense can. VIII.*, *Theoph. Alexandr. can. IX. ap. Bevereg. tom.* 2. *pand. canon.*

cilio Chalcedonensi omnes episcopi jussi sunt, *ex proprio clero oeconomum habere, ut nec sine testibus sit ecclesiae administratio, nec ideo res ejus* (ecclesiae) *dissipentur, & probrum & dedecus sacerdotio inuratur* (*a*). Eligebatur vero oeconomus ex propriae ecclesiae clero alicubi per episcopum (*b*), alibi per universum clerum (*c*), electus vero episcopi nutu reditus ecclesiae administrabat. Quod si episcopus aut metropolita oeconomum non crearent, a metropolita vel patriarcha creandus erat, ut synodus Nicaena II. (*d*) statuit. Ex Oriente in ecclesias Occidentales oeconomi permearunt, jamque saeculo septimo synodi Hispalensis II. & Toletana IV. vicarios laicos, quos in procurandis rebus ecclesiae sibi episcopi adscifcebant, abjecerunt, eorumque loco oeconomum ex clero ex forma concilii Chalcedonensis institui voluerunt (*e*). Quod si ecclesiae in longinquis regionibus patrimonia possiderent, eorum procuratio committebatur *defensoribus*, qui a tempore Gregorii M. ex clericis electi sunt (*f*). Praecipuum defensorum munus erat ecclesiae & pauperum jura in civili foro propugnare; at iis etiam alia munia & procuratio patrimonii in longinquis provinciis positi praesertim in ecclesia Romana demandata sunt

(a) *Conc. Chalced. can. XXVI.* (b) *Act. IX. conc. Chalced.* (c) *Theoph. Alexand. cit. can.* (d) *Conc. Nicaen. II. can. XI* (e) *Conc. Hispalense II. can. IX.*, *conc. Tolet. IV. can. XLVI.* (f) *Gregor. M. lib. VII. ep. 66.*

funt (a). Sed diaconorum & oeconomi in procurandis bonis ecclefiafticis vivente epifcopo ferme defiit auctoritas, idque contigit per beneficiorum inftitutionem, qua fingulis beneficiariis propria portio redituum demandata eft.

Ex regula juftitiae olim difpenfati reditus ecclefiae.

§. V. Jam vero reditus ecclefiaftici ab epifcopo opera diaconorum aut oeconomorum in clericos, pauperes & alios ufus religiofos pro cujufque gradu, merito & neceffitate erogabantur, totumque id negotium juftitia aequitafque regebat. Sane praecipiunt fic dicti apoftolici canones, ut epifcopus res ecclefiafticas *adminiftret tamquam Deo intuente* (b): qua fola regula in procurandis ecclefiae rebus epifcopi initio adftricti fuerunt. Hinc ex communi penu fingulis menfibus pecuniae clericis tribuebantur, efculenta vero fingulis diebus aut hebdomadis videntur data. Certe Cyprianus *menftruas divifiones* clericis adfignatas memorat (c), eofque a fportulis, quibus efculenta recipiebant, *fratres fportulantes* nominat (d). Et quod nunc fufpenfionem a beneficio dicimus, ipfe fufpenfionem *a divifione menfurna* appellat (e). Nemini autem adminiftrationis fuae rationem epifcopi reddebant, at eorum miniftri archidiaconus & oeconomus reddendis rationibus, & quidem quotannis

(a) *Conf. Morin. de facris ordinat. part. III. exercit. 16.cap.6.feqq.* (b) *Can.apoft. XXXVII.*
(c) *Cyprian. epift. XXXIV. al. XXXIX.*
(d) *Cyprian.ep.LXVI.al.I.* (e) *Id.ep.XXVIII. al. XXIV.*

nis erant obnoxii (a). Verum si episcopi dissiparent potius, quam procurarent Christi patrimonium, illudque in propinquos effunderent, concilio provinciali poenas dabant (b).

Divisio redituum ecclesiae in quatuor partes.

§. VI. Quae vero unius episcopi justitia & sapientia procedebat sacri patrimonii procuratio, inde in multis ecclesiis Occidentis certis finibus & legibus coacta est. Equidem receptum est, ut ex oblationibus & omnibus aliis ecclasiasticis reditibus quatuor aequales portiones fierent, quarum una episcopo, altera toti clero cederet, tertia pauperibus, quarta sacris vasis & instrumentis & fabricae ecclesiae impenderetur. Celebris est ista quadripartita divisio in ecclesia Romana, ubi quinto saeculo recepta erat, de ea enim primus Simplicius papa loquitur (c): inde episcopus Lucaniae Gelasius praecepit, ut ecclesiae proventus in quatuor portiones tribuerent, *sicut dudum rationabiliter est decretum* (d). Et certe suppositicius est canon quidam sub nomine concilii Romani a B. Silvestro habiti, quo quatuor partas de rebus ecclesiasticis fieri praecipiuntur. Cupiditas episcoporum & ministrorum parum recte & sincere administrantium hanc rationem solemniorem procurandae rei ecclesiasticae videtur induxisse, ut ita eorum avaritia & cupiditas cohiberentur. Ab ecclesia Romana in mul-

---

(a) *Possid. vit. August. cap. XXIV.*, *L. IV. C. de episc. & cleric.* (b) *Conc. Antioch. can. XXV.*
(c) *Simplic. papa ep. II. Confer. Thomass part. III. lib. 2. cap. 13.* (d) *Can. XXVII. C. 12. q. 2.*

multas alias Occidentis ecclesias mos iste tribuendi pertransiit, idque exemplo Romanae ecclesiae aut pontificum jussionibus (*a*). Ceterum ecclesia Hispaniensis in tres partes reditus tribuebat. *Placuit*, inquit synodus Bracarensis, *ut de rebus ecclesiasticis fiant tres aequae portiones, idest una episcopi, alia clericorum, tertia in reparatione vel in luminariis ecclesiae* (*b*): in qua partitione, quod mirum videri debeat, pauperes sine parte relinquuntur: verum episcopi portio uberior videtur fuisse, quae etiam pauperibus sufficeret: omnis enim, quae sub caelo est ecclesia, semper ratum fixumque habuit, reditus ecclesiasticos esse pauperum patrimonium. Quin in ecclesiis ubi reditus in quatuor partes tribuebantur, quae duae pauperibus & fabricae cedebant, arbitrio episcoporum permittebantur dispensandae, quod Thomassinus observat (*c*).

Quae tandem desuevit.

§. VII. Sed quae est rerum humanarum conditio in eodem statu numquam permanentium, haec quadripartita redituum ecclesiasticorum distributio tandem antiqnata & sublata est. Principio plures ex clericis saeculo sexto praedia ecclesiarum in usumfructum loco redituum illis alias debitorum ab episcopis accipere coeperunt (*d*) Ab eodem quoque tempore paroeciis ruralibus & inde etiam urbanis certi reditus sensim veluti in

(a) *Can. XXX. eod.* (b) *Conc. Bracar. I. cap. XXV.* (*edit. Labb. Bracarense II. can. VII.*)
(c) *Confer. Thomass. loc. cit. n.* 3. (d) *Can. LXVI. C.* 12. *q.* 2., *can. LXI. C.* 16. *q.* 1.

in dotem perpetuo adſignati ſunt (a), ex quibus epiſcopi bonis aliis affluentes ſaepe nihil aut parum ſibi reſervabant. Et hinc in capitularibus regum Francorum parochis ruralibus praecipitur, ut de decimis tres partes faciant, quarum unam ornandis eccleſiis deputent, ſecundam in pauperum uſum impendant, tertiam ſibi reſervent (b). Inſtituta quoque per Chodrogangum & brevi diffuſa epiſcoporum & clericorum communi vita, in his eccleſiis quod epiſcopi & clerici eadem menſa uterentur, quadripartitae procurationi locus eſſe non poterat: & quamvis inde canonicorum ſaecularium communis vita defecerit; non tamen reditus communi conſilio adminiſtrati ſunt, ſed ſingulis officiis proprii reditus ceſſerunt, quos ipſi beneficiarii perciperent. Antiquandae pariter ſollemmi in quatuor partes bonorum tributioni multum contulerunt eccleſiae & altaria in feudum laicis conceſſa, aut in monachos aut canonicos translata: nam laici & monachi vix unum presbyterum, cui regimen eccleſiarum demandabatur, nutriebant: & ſi monachi in pauperes erant liberales, neſcio an quarta in eorum uſum impendebatur.

Procuratio bonorum ſede vacante.

§. VIII. Summa erat epiſcopi auctoritas in procurandis bonis eccleſiaſticis; at eo mortuo aut alias ſede vacante, regimen eccleſiae ad presbyterium pertinebat, cujus adeo auctorita-

(a) *Conc Aurelianenſe III. can. V.*, *can. XXV. C. 23. q. 8.* (b) *Confer. Thomaſſ. par. III. lib.* 1. *cap.* 18.

te res ecclesiae administrabantur (*a*). Inde instituto per Orientem oeconomo, ejus etiam ministerio & procurationi res vacantis ecclesiae commissae sunt (*b*). Sed in Occidente saepe Romani pontifices in ecclesiis vacantibus eorum potestati subjectis clericos delegabant, qui interim res temporales procurarent (*c*). Visitatores etiam episcopi, qui ad regendas ecclesias vacantes interim mittebantur, sollicitudinem habere debebant, ut res illarum illibatae servarentur, & distributiones more solito fierent (*d*). Et recepto usu oeconomorum, deinceps reditu & cura temporalium vacantis ecclesiae penes oeconomum fuerunt. Quicumque vero esset sede vacante redituum procurator, interim de more ecclesiarum clericis alimenta tribuebat, & onera sustinebat episcopatus, reliquum vero episcopo, cui suae administrationis rationes reddere tenebatur, reservandum erat. Et si statuat concilium Chalcedonense (*e*), ut *reditus ecclesiae viduatae penes oeconomum ejusdem ecclesiae integri reserventur*; id ita intelligendum est, reservari futuro episcopo reditus omnes praeter eos, quos ad impendia necessaria & onera episcopatus tribuere oportebat, ut eum canonem Zonaras interpretatur, cui doctrinae concilium Valentinum in Hispania consonat (*f*). Ex prae-

(a) *Confer. Boëhm. jur. eccl. lib. III. tit.* 5. §. 42.
(b) *Conc. Chalc. can. XXV.* (c) *Gregor. M. lib. I. ep.* 78. (d) *Gregor. M. lib. II. ep.* 7. 19. 38.
(e) *Conc. Chalced. cit. can. XXV.* (f) *Conc. Valentin. can. II.*

senti disciplina ubi capituli est fructus colligere, unus pluresve oeconomi sede vacante constituuntur, qui usque ad futuri episcopi constitutionem rerum ecclesiae curam gerant, eique administrationis suae reddant rationem (a).

Ecclesiarum vacantium regia custodia.

§. IX. Antiquus autem morbus est, quo clerici mortuis episcopis spolia eorum diripere consueverunt; & lapsu temporis in magna confusione, qua in Occidente erant res civiles, bona ecclesiarum & monasteriorum praesertim sede vacante aut abbate defuncto passim laicis praedae cesserunt. Hinc invaluit, ut reges, quibus ecclesiarum defensio commissa est, custodiam ecclesiarum vacantium in se susciperent, quod jus in Gallia sub regibus secundae stirpis receptum erat. Custodia autem regia eo spectabat omnis, ut servarentur canones, ut instituerentur oeconomi, ut prohiberentur praedae, & clerici consuetas sportulas acciperent, & ut reliqui proventus sundique ipsi successori incolumes servarentur, quod Thomassinus (b) recte observat. Et sane qualis esse debeat regia episcopatuum vacantium custodia ita Hincmarus Remensis exponit, *res & facultates ecclesiasticae non in imperatorum atque regum potestate sunt ad dispensandum, vel invadendum, sive diripiendum, sed ad defensandum atque tuendum* (c). Hac stante vacantium episcopatuum regia custodia, electi episco-

(a) *Trid. sess. XXIV. de ref. cap.* 16. (b) *Thomass. par. III. lib. 2. cap.* 54. *n.* 3. (c) *Hincm. ep. IX. cap.* 41. *tom.* 2. *oper.*

ſcopi in Gallia ad regem deducebantur, ut ab eo acciperent res eccleſiae temporales, & epiſtolas ad metropolitanum, qui eos erat ordinaturus (*a*). Interim ſaepe reges, occaſionem praebente cuſtodia, fructus eccleſiarum vacantium ſuos fecerunt, aut earum praedia ſuis militibus dederunt in beneficium: quibus proventibus ut diu fruerentur, electiones epiſcoporum ſaepe in longum diſtractae ſunt, interea vero vacantibus eccleſiis modico proventu chorepiſcopi praeficiebantur (*b*).

Origo & natura regaliae.

§. X. Occaſione cuſtodiae ſaepe reges fructus eccleſiarum vacantium ſuos fecerunt; at inde id jus in plerisque provinciis evaſit ordinarium, inſtituta *regalia*, ut appellatur, qua fit, ut reges epiſcopatuum vacantium fructus percipiant & beneficia ſine cura animarum ab epiſcopo conferri ſolita conferant, donec novus epiſcopus fidelitatem regi praeſtiterit & inveſtituram bonorum eccleſiaſticorum ab eodem acceperit. Regaliae origo a feudis in eccleſias collatis repetenda eſt, quod recte Petrus de Marca (*c*) aliique obſervarunt. Scilicet multarum provinciarum & locorum moribus feuda morte beneficiarii cum ſuis reditibus ad dominum redibant, etiam ubi evaſerunt hereditaria, & ab eo detinebantur donec novus vaſallus ſoluto relivio inveſti-

P 2

(a) *Hincmar. ep. XII. ad Ludovic. III. Francor. regem.* (b) *Flodoard. l b. III. hiſt. Remenſ. cap.* 10. (c) *Petr. de Marca de C. S. & I. lib. VIII. cap.* 19.

futuram a domino accepisset (a): cujus etiam naturae in iisdem locis videbantur esse feuda in ecclesiam collata. Videtur autem recepta regalia post constitutionem Callisti II anno CIƆCXXII, qua rejectis per anulum & baculum investituris, regibus tribuitur potestas exigendi a praelatis universa officia & obsequia, quae ratione feudorum exhibere tenebatur, *quae ex regalibus debet, faciat*. Ita coeperunt reges jure optimo frui reditibus feudorum, quae ad ecclesias vacantes pertinebant: & occasione regalium ceteros ecclesiarum reditus, immo ipsam beneficiorum sine curatione animarum collationem, quae veluti pars fructuum censebatur, occuparunt. Sic extensum regaliae jus saeculo XII in Gallia, Germania, & Anglia obtinebat, eoque etiam utebantur inferiores dynastae, qui feuda ecclesiae contulissent (b): at illud in imperio Fridericus II remisit. Non tamen in Callia omnes episcopales ecclesiae regaliae subjectae erant, sed tantum in illis provinciis, ubi in feudis mutatio vasalli solvendi relivii necessitatem imponebat. Usi sunt regalia principes ecclesia non invita, etenim Alexander III eam veluti legitimam habuit (c) & concilium Lugdunense II sub Gregorio X eamdem admisit (d), *ubi ex fundatione & antiqua consuetudine* vigebat. Sed lapsu temporis in Gallia ad om-

(a) *Confer. Cangius v.* feudum & relivium.
(b) *Conf. Marca loc. cit. cap.* 25. *& seqq.* (c) *Cap.* ex diligenti *de jur. patron. in* 1. *coll. ap. Ant. August.* (d) *Cap. XIII. de elect. in* 6. *Conf. N. Alexander diss. VIII. in saec.* 13. *&* 14. *art.* 4.

omnes cathedrales ecclesias edicto regis cum aliqua moderatione extensa est, consentientibus pro bono pacis antistitibus, sed Innocentio XI summo pontifice reclamante (a). Ceterum perceptos fructus plerumque Galliae reges novis episcopis concedunt.

Custodia ecclesiarum vacantium in regno Siciliae.

§. XI. In regno Siciliae, quo Sicilia stricte sic dicta & Apulia continebantur sub Nortmannis & Suevis principibus custodia vacantium ecclesiarum, non vero regalia videtur obtinuisse. Et initio quidem ballivis datum a rege, ut custodiam & curam spoliorum episcopalium bonorumque ecclesiarum vacantium haberent. Sibi autem commissa custodia ballivi abusi sunt: hinc statuit rex Rogerius, ut eam curam tres meliores fideliores que ecclesiastici susciperent, qui necessaria ecclesiarum ministris tribuerent, reliqua vero in opus ecclesiae futuro episcopo, cui redderent rationes, reservarent (b). Id autem a se statutum Rogerius adserit, quod omnes regni ecclesiae, & praesertim vacantes, *in manu & protectione regia* existebant. Etiam sub Friderico II apud nos stetit custodia vacantium ecclesiarum: Fridericus enim Rogerianam legem libris constitutionum inseruit; & regaliae renuntiatio ab eo facta potius ad imperium, quam ad Siciliam spectavit, ut mittam, quod ecclesiarum custodia, etiam dimissa regalia, recte stare potuerit. Inde Corradus rex, Fri-

(a) *Confer. Espen. par. II. tit.* 25. *cap.* 8. *n.*27.

(b) *Const.* pervenit *tit. de administr. rer. eccles. post mortem praelat.*

Friderici filius, fructus ecclesiarum vacantium de more ceterorū regum videtur sibi vindicasse, quod ex ipsius responsione ad Alexandrum IV. colligitur (a). Sed desiit custodia ecclesiarum apud nos sub Andegavensium regno, qui erant sedi apostolicae addictissimi, idque ex pactis investiturae Carolo I datae: atque ita cura ecclesiarum vacantium ad ecclesiasticos reversa est.

☞ *Quidquid sit de vetusta Regni nostri politia, qua custodiam potius Ecclesiarum, quam jus Regaliæ nostros Principes exercuisse Auctor contendit; Paucis ab hinc annis invictus Rex Ferdinandus occasione quorumdam beneficiorum Agrigentinæ Ecclesiæ maturo habito consilio edixit plenum sibi in Regno nostro Regaliæ jus pertinere tum quoad temporalia, tum quoad spiritualia, quo quidem jure vacantibus sedibus Episcopalibus tum fructuum omnium beneficiorum perceptio, tum presentatio, & nominatio quarumcumque Dignitatum, Personatuum, Canonicatuum, Beneficiorumque omnium, quæ a defuncto Episcopo minime collata fuere, vel ea tempestate, qua Ecclesia proprio est viduata pastore vacabunt, Regiæ Maestati adjudicanda est, Consule Regium Diploma sub die 15. Julii anno 1780. datum.*

Reditus beneficiorum vacantium cedunt sedi apostolicae.

§. XII. Jam vero labentibus annis in multis ecclesiis & praesertim in Italia reditus ecclesiarum & beneficiorum vacantium (ut nunc nihil di-

---

(a) *Ap. Matth. Pariens. hist. Angl. in Henrico III.*

dicam de spoliis defunctorum beneficiariorum); qui ex canonum statutis ed ecclesiam aut beneficiarium successorem pertinebant, ad fiscum pontificium devoluti sunt. Coepisse videntur hae devolutiones sub Joanne XXII, qui ad quaerendas & coacervandas opes natus videbatur, inde in schismate Avenionensi convaluerunt & latius diffusae sunt, ut dissentientes pontifices ad se sustinendos & partes suas tuendas haberent abunde. Hinc *collectores*, & *subcollectores* apostolici, ut vocantur, id etiam habuerunt in mandatis, ut reditus ecclesiarum & beneficiorum vacantium nomine pontificis occuparent eique colligerent. Praesertim vero reditus ecclesiarum & beneficiorum vacantium in regno Apuliae sub Austriacis regibus fisco pontificio cesserunt, quando iterum constabilitae & latius extensae sunt. Cedunt autem fisco pontificio reditus pendentes tempore vacationis, & qui ea durante proveniunt pro rata temporis, quocumque modo, praeterquam cessione, beneficia vacent (*a*). Et licet in Italiae locis, ubi erant apostolici collectores, beneficia tantum collationi pontificis addicta ex Pii IV bulla fructus tempore vacationis fisco pontificio ferrent (*b*); tamen in regno Apuliae ecclesiae & beneficia omnia sive cum cura, sive fine cura, quocumque mense vacaverint, huic oneri subjecta

(a) *Bul. Julii III.* cum sit nobis *& bul.* dudum ex certis, *cap. II de reservationib. in septimo decretal. ap. Ant. Matth.* (b) *Cit. cap. II.*

cta sunt (*a*). At intercessit potestas regia, excepitque ecclesias cathedrales regiae nominationis & beneficia juris patronatus regii & feudalis, quorum omnium fructus tempore vacationis successori cedunt: quo jure nunc utimur. Ut vero habeatur rata pars pro tempore vacationis, annus computatur a die, quo terra fructus naturales ferre incipit, hoc est in frumento & frugibus initio Septembris, in vino Novembris, in oleo & frugibus hiemalibus Decembris, in herbis aestivis Aprilis, in hiemalibus Octobris, ut fert regula recepta, nisi locorum conditio aliter postulet.

C A P U T XLII.

De rebus ecclesiarum non alienandis.

Res ecclesiarum non alienantur.

§. I. Expensae in usus religiosos ante explicatos in casibus quotidianis non ex ipsis ecclesiarum bonis, sed ex fructibus faciendae sunt; interdicta est enim rerum ecclesiasticarum alienatio. Et quidem ubi ecclesiae sub christianis principibus fundos adquirere coeperunt, diu nulla exstitit lex, qua eorum alienatio vetaretur (*b*), quamvis multae ecclesiae adquisita praedia

(a) *Bul. Pii IV. an. CIↃIↃLX. apud Redoan. de spoliis, Sistus V. bull.* quum sicut accepimus, *impressa ad calcem instruct. pro subcollectoribus.*

(b) *Cons. Sarpus materie benefiziarie n. XXXVI.*

dia retinerent. Inde e re christiana visum est vetare sacri patrimonii alienationem, idque ut perpetui & inexhausti essent fontes ad expensas religiosas, praesertim quod panis & vini oblationes in dies decrescebant, & ut dissipationes possent evitari. Quod si in mediae aetatis monumentis res ecclesiarum alienari verentur, quod sint Deo sacrae: id eo spectasse videtur, ut depraedationes tum frequentes ab illis arcerentur; non quod res Deo oblatae intrinsecus commercio eximantur. Sub finem saeculi quarti in Africa jam vetitum erat res ecclesiasticas alienari (a): inde legibus principum & sacris canonibus eadem prohibitio in multis aliis ecclesiis instituta est (b); generaliter vero invaluit sub Justiniano, cujus lege cautum est, ut bona ecclesiarum in orbe Romano alienari non liceret (c). Spectat autem alienandi interdictum etiam monasteria & loca religiosa, quae nomine ecclesiae intelliguntur (d). Adeo vero sanctiori lege perpetuum esse debebat sacrum patrimonium, ut nec ipsi pontifici res ecclesiae Romanae distrahere liceret (e). Quin saeculo XII etiam sacramento, quod in ordinatione praestabant, adstricti sunt episcopi ad res suarum ecclesiarum integras servandas (f): quod sacramentum adhuc hodie praestant.

(a) *Conc. Carthag. V. can. IV.* (b) *L. XIV. & XVII. C. de sacrosanct. eccles., can. XX. C. 12. q. 2. conc. Agath. can. VII.* (c) *Justin. novel. VII. cap. 1.* (d) *Cit. novel. VII. cap. 1.* (e) *Cit. can. XX.* (f) *Cap. VIII. ex de reb. eccles. alienand.*

Quid veniat nomine alienationis.

§. II. Nomen autem alienationis in hac caussa continet omnem dominii translationem quovis titulo factam, & quemvis actum, quo res ecclesiasticae diminuuntur, aut ecclesia impeditur, quo minus libere re sua fruatur: interest enim, ne qualibet ratione minuantur reditus, unde pauperes vivunt, & cultus religiosus sustinetur. Hinc res ecclesiarum nec vendi, nec donari, nec permutari, nec in emphyteusim, nec in usumfructum concedi possunt, quod plures canones & novella Justiniani statuunt (a). Et canon sub nomine concilii Silvanectensis ita habet (b), *alienationis verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem & emphyteuticum perpetuum contractum*. Sed quae species alienationis *conditio* est? Cironius conditionem interpretatur pactum, quo fundus deterior fit: alii aliter: at rectius sentiunt Ant. Augustinus & Cujacius (c), qui *conditionem* ab hoc canone tamquam importune intrusam explodunt, & quidem ea summa ratione quod in Justiniani novella VII. unde hic canon desumtus est, desideratur. Vetitum quoque est, res ecclesiasticas pignori aut hypothecae supponi (d), & multo magis in feudum addici: quamvis enim pignore aut hypotheca dominium in accipientem non transferatur; tamen constituitur *jus in re*, quod vulgo appellant, vi cujus ad pignoris aut hypothecae di-

stra

(a) *Conc. Carthag. IV. can. XXXII.*, *cit. novel. VII. cap.* 1. (b) *Cap. V. ex. eod.* (c) *Cujac. ad cit. tit. decretal.* (d) *L. XXII. C. de sacros. eccl.*

ſtractionem ſaepe devenitur, nec amplius res libera penes eccleſiam remanet. Porro nec licet de rebus eccleſiarum tranſigere (a), nec ſervos earum manumittere (b), nec praedia ad longum tempus, hoc eſt, ad decem annos locare (c). Quin ex decretali Pauli II nec ultra triennium res eccleſiarum locare licet (d), quod jus multis in locis non ſervatur.

Quae res vetantur alienari.

§. III Res autem eccleſiaſticae, quarum interdicta eſt alienatio, ſunt illae, unde annui reditus proveniunt, & quae uſibus eccleſiae perpetuo addictae ſunt. Itaque vetantur alienari praedia omnia, ſive ruſtica, ſive urbana, & jura, item mobilia pretioſa Deo dicata (e). Nec alienari poterant ruſtica mancipia (f), quibus de more Romano olim pleraeque eccleſiae ad ſua prædia excolenda utebantur. At non vetabatur epiſcopus eccleſiae ſuae ſervos manumittere, modo eidem tantumdem de ſuo rependeret (g); nihil enim damni in hac ſpecie eccleſia ſentiebat; aut ſi ſervi de eccleſia benemeriti eſſent (h), ut ita ceteri ex ſervis ſpe libertatis attentius ſua ſervitia exhiberent. Manumiſſi autem

Q 2 tem

(a) *Cap. II. & VIII. ex. de tranſactionib.* (b) *Cap. III. ex. de reb. eccleſ. alienand.* (c) *Conf. Duaren. de ſacris miniſter. lib. VII cap.* 9. (d) *Extravag.* ambitioſae *de reb. eccleſ. non alienand int. comm.* (e) *L. XXII. C. de ſacroſ. eccleſ., novel. VII. cap.* 1., *cap. V. ex. de rebus eccleſ. alienand. vel non.* (f) *Cit. cap. V.* (g) *Cap. III. ex. eod.* (h) *Can. LVII. C.* 12. *q.* 2.

tem servi ecclesiae erant liberti, & cum peculio & posteritate sua sub ejus patrocinio remanebant (a), quod in ecclesiae libertis speciale erat. Arbores quoque grandes, unde fructus annui proveniunt, & quae caedi non solent, non alienantur. Qua in re beneficiarii usufructuariis similes sunt, qui fruuntur quidem fructibus arborum, at in locum demortuarum alias submittere tenentur (b).

Ex justa caussa res ecclesiarum alienantur.

§. IV. Quamvis autem rerum ecclesiasticarum alienationes interdictae sint, tamen ex justa caussa & legitimis sollemnibus eas fieri leges & canones permittunt. Nec enim res ecclesiasticae natura sua sunt extra commercium, ut earum alienatio intrinsecus vetetur: tantum vetantur alienari in casibus ordinariis, ubi nulla justa caussa suadet alienationem. Justae autem alienationis caussae tres recensentur, necessitas, pietas & utilitas, quae variis legum & canonum textibus proponuntur (c). & necessitas quidem facit, ut res ecclesiarum possint alienari, veluti si aere alieno prematur ecclesia, nec possit ex fructibus satisfieri Quo nomine ubi episcopi ratione feudorum adigeoantur ad militiam imperatori & regibus exhibendam, bona ecclesiastica militibus dabantur in feudum (d). Et similiter in magna reipublicae necessitate, in cujus inco-lu-

(a) *Cit. cap. III.* (b) *Confer. Zypaeus in jure novo tit. de reb. eccles. non alienand.* (c) *Conf. Espen. par. II tit.* 36. *cap.* 4. (d) *Petrus Damian. lib. I. ep.* 19.

lumitate ecclesiae salus continetur, ad sublevandam rempublicam saepe bona ecclesiarum distracta sunt. Porro ex caussa pietatis, quam sub nomine necessitatis exprimere solent antiqua monumenta (a), res ecclesiasticae, etiam vasa initiata, alienantur, veluti si captivi redimendi sint, aut pauperes tempore famis alendi & recreandi, quam doctrinam semper proposuit ecclesia (b). Sunt res ecclesiarum pauperum & miserorum patrimonium, ac proinde justum est, *animas hominum quibuscumque vasis vel vestimentis praeferri*, ut Justinianus habet (c). Et reapse omni aetate sanctissimi episcopi in primis Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Augustinus, Acacius episcopus Amidenus aliique ad alendos pauperes tempore famis, & ad redimendos captivos res ecclesiae & vasa etiam initiata alienarunt. Propter utilitatem etiam recte res ecclesiarum distrahuntur, veluti si silvestria loca aut aedes ruinosae dentur in emphyteusim, aut si praedia nimis dissita cum propinquis commutentur, aut si res minus utiles vendantur, ut res alias utiliores & fructuosiores ecclesia adquirat.

Sollemnitas ad alienationem necessaria.

§. V. Porro ex legitima caussa factae rerum ecclesiasticarum alienationes tum ratae erunt, si sollemnibus per canones praescriptis celebrentur; sollemnia enim juris civilis parum curantur. Et olim quidem ferme in synodo episcoporum decer-

---

(a) *L. XXII. C. de sacros. eccles.* (b) *Can. XIV. XV. & LXX. C. 12. q. 2.* (c) *Cit. l. XXII.*

cernebatur sacri patrimonii alienatio (a); tum quod synodi evasissent rariores, statutum est, ut quidquid ejus rei esset ex totius cleri tractatu, consensu & subscriptione, atque episcopi auctoritate celebraretur, quod in decreto sub nomine Leonis papae cautum (b) in usum assiduum abiit. Nomine cleri post canonicorum institutionem venit collegium seu capitulum ecclesiae, cujus bona alienanda sunt, si illa collegium habeat: in monasteriis vero cleri vicem gerit monachorum conventus. Itaque ubi res aliqua alienanda est, de more indicitur capitulum, in quo ante omnia de legitima caussa alienationis tractatur, inde exquiritur consensus, qui ex majori parte censetur. Tractatus & consensus reducitur in scripturam, cui omnes subscribere debebant. Quibus omnibus antistitis accedit auctoritas, seu praelati regularis, si monasterium exemtum est. Quod si alienanda sit res ecclesiae, quae collegio destituitur, usu receptum est, ut unius episcopi inquisitione & decreto alienatio concedatur (c). Haec autem sollemnitas abrogata est decretali Pauli II, qua statutum, ut rerum ecclesiasticarum, & locorum piorum alienationes *inconsulto Romano Pontifice* non fierent (d). Quod quidem jus apud nos receptum est, secus in aliis christianis provinciis. Ceterum terrulae minus uti-

(a) *Can. XXXVIII. C. Afric.*, *can LIII. C.* 12. *q.* 3.; *Hilarius papa ep. VIII.* (b) *Can. LII. C.* 12. *q.* 2. (c) *Conf. Rebuf. in compend. alienat. rerum eccles.* (d) *Extravag.* ambitiosae *de reb. eccles. non alienand. inter comm.*

utiles; res in emphyteusim seu feudum dari solitae, & res mobiles, quae servando servari non possunt, unius episcopi auctoritate etiam post Pauli II decretalem recte distrahuntur.

☞ *Jure Patrio anno* 1779. *edictum fuit sanctione pragmaticali, ut licentia pro alienatione bonorum Ecclesiæ concederetur a Supremo Regni Tribunali Laicali, & ab eo solemnitas discuteretur.*

Poenae contra alienantes res ecclesiasticas.

§. VI. Quod si non ex justa caussa, aut posthabitis sollemnibus jure canonico praescriptis, res ecclesiarum alienatae sint; poenae sacris canonibus decretae locum habent. In primis irrita est ipsa alienatio, nihil juris in accipientem transit, & licet quibuslibet ecclesiasticis alienata simul cum fructibus vindicare (*a*). Porro episcopi, qui non servata forma alienabant, ex veteri disciplina deponebantur, clerici vero, qui alienationi subscribebant, anathemate feriebantur (*b*). Et in canone sub nomine concilii Silvanectensis contra alienantes proponuntur poenae, *quos Leonina constitutio minatur* (*c*); quo nomine passim interpretes (*d*) intelligunt non decretalem sub nomine Leonis papae decreto Gratiani insertam, sed potius Leonis imperatoris legem, qua

(a) *Can. LIII. C.* 12. *q.* 2., *cap. I. ex. de his quae fiunt a praelato*, *cap. VI. ex de reb. eccles. alienand.*, *extraug.* ambitiosae *eod. int. comm.*

(b) *Can. VIII. C.* 10. *q.* 2., *cap. VI. ex. de reb. eccles. aliennd.* (c) *Cap. V. ex de rebus eccles. alienand.* (d) *L. XIV. C. de sacros. eccles.*

qua alienantes bona ecclesiae Constantinopolitanae officio cadebant, & illatum damnum sarciebant *a*). At in extravaganti Pauli II. alienantes & recipientes excommunicantur: qua excommunicatione episcopi & abbates ingressu propriae ecclesiae interdicuntur, & si intra sex menses ab ea absolui differant, regimine propriae ecclesiae in spiritualibus & temporalibus cadunt: reliqui inferiores praelati & alii rerum ecclesiasticarum procuratores & beneficiarii ecclesiis & beneficiis, quorum bona contra praescriptam formam distraxerunt, ipso jure privantur. Ceterum in multis christianis provinciis praesertim in Gallia & Belgio praetermissae sollemnitates vitiare non solent alienationem, modo ex legitima caussa facta sit, & ecclesiae utilis habeatur (*b*): nec omnes reliquae poenae canonibus statutae in christianis provinciis locum habent (*c*). Quod si post alienationem rite factam appareat, non leve damnum ecclesiae illatum, haec non secus ac minor poterit beneficio restitutionis in integrum uti (*d*).

An recte vetitum sit, res ecclesiarum alienari.

§. VII. Passim audire licet non ex vulgo tantum, sed primi subsellii viros, quibus minus placent vetitae rerum ecclesiasticarum alienationes, praesertim ubi nulla est amortizatio, quod tot praedia hominum commercio eximantur. Sed si

(a) *Conf. Gonzalez. in cit. cap. V.* (b) *Confer. Espen. par. II. tit. 36. cap. 4. n. 40. & seqq.*
(c) *Barbosa de potest. episc. alleg. L. n. 173.*
(d) *Cap. I. ex. de in integr. restitut.*

si res ex ecclesiae sententia expendatur, vetita sacri patrimonii alienatio nihil iniqui aut singularis continet, sed tantum illius procurationem & commercium certis regulis coërcet, quibus homines frugi de rebus suis statuere solent. Nec enim boni patresfamilias res suas coeco impetu disperdunt, sed tum eas alienant, si necessitas urgeat, aut utilitas suadeat. Et si in alienandis rebus ecclesiarum praeterea sollemnitates quaedam jure ecclesiastico statutae sint; id plane erat necessarium, ne unus episcopus aut reliqui beneficiarii sibi commissis rebus abuterentur. Tantum dolendum, quod ubi ecclesia permittit, immo praecipit res suas etiam vasa initiata distrahi praecipientem ecclesiam episcopi & reliqui praelati non exaudiant. Haud ita multum Italia, & quod mireris, etiam Apuliae regnum summa annonae penuria laboravit, & tamen multi ex pauperibus fame perierunt. Scio equidem multos ex nostris episcopis & plerosque monachos hac urente caritate uberiores eleemosynas erogasse, & pretiosa altaris instrumenta pignori supposuisse; at ex mente ecclesiae ulterius erat procedendum. Et deinde quot captivi apud nos quotannis ex divenditis bonis ecclesiasticis rediumuntur? Parum quoque curant episcopi & monachi universitatum regni necessitates, in quem usum quis negabit bona ecclesiarum recte distrahi?

CAPUT XLIII.

De natura & origine beneficiorum ecclesiasticorum.

Definitio beneficii.

§. I. Hactenus bona ecclesiastica generatim consideravimus; nunc ea ipsa in partes tributa & singulis officiis perpetuo adnexa expendi debent; non quia bona sic tributa aliquam intrinsecam subjerint mutationem, sed quia novas loquendi formulas & exteriorem disciplinam a veteri longe diversam induxerunt. *Beneficii* nomine intelligimus jus percipiendorum fructuum ex bonis, quae singulis titulis & ministeriis perpetuo adnexa sunt, quod auctoritate ecclesiastica institutum clericis propter spirituale officium ad vitam adsignatur. Hac notione vocem beneficii juris canonici interpretes intelligunt, & quidem vocis proprietati & ecclesiasticis monumentis convenienter: etenim beneficium etiam usu profano denotat praedia, quae propter servitia militaria militibus dabantur: & in monumentis ecclesiasticis beneficii nomine praesertim veniunt reditus ipsi propter officium debiti, ut videre est in illo tritissimo *beneficium datur propter officium* (a), Ceterum theologi beneficii nomine ipsum ecclesiasticum officium, cui perpetuo reditus adnexi sunt, intelligunt: quo ipso recedunt quidem

(a) *Cap. fin. de rescrip. in 6.*

dem a vocis proprietate, at ecclesiae menti magis accedunt, quae ecclesiastica ministeria veluti potiora semper adgnovit, reditus vero veluti secundarios, qui ex ipsis ministeriis sequerentur. Utra definitio eligatur, quod spectat ad rei naturam, parum videtur interesse: etenim etiam canonistae adgnoscunt beneficii caussam esse sacrum ministerium (a): quin integra beneficiorum natura ex sacro ministro aestimatur.

Praedia data clericis ad vitam.

§. II. Sic accepta beneficia posteriori aetate invaluerunt; nam etsi clericis semper jus fuerit propter servitium ecclesiasticum de altari vivere; tamen per plura saecula acceperunt a communi reditu justam sustentationem: non ipsi reditus fundorum collegerunt. Exorta sunt ecclesiastica beneficia a partitione bonorum aeque perpetua in singulos titulos & ministeria, quae partitio sensim & veluti per gradus facta est. Proventus ecclesiastici sexto saeculo adhuc in ecclesiae principis aerarium confluebant, & episcopi auctoritate & diaconorum, presbyterorum aut oeconomi ministerio in usus religiosos tribuebantur. Interim vero episcopi veluti extra ordinem clericis vel remuneratione, quod essent de ecclesia benemeriti, vel humanitate praedia ecclesiastica, saepe non adeo magna, in usumfructum concedebant (b): qua concessio-

(a) *Confer. Espen. par. II. tit.* 18. *cap.* 1. *n.* 14. *seqq.* (b) *Conc. Agathense an.* 506. *can.* XXIII & *LIX.*, *conc. Aurelianense I. can.* XXIII.

ne videntur clerici semel accepisse, quod alias a communi penu toties accipere oportebat, aut quod meritis in ecclesiam erant cumulati, supra mensuram consuetae sustentationis aliquid amplius ex episcopi largitate consequebantur. Sic clericis concessa praedia vel ad vitam vel ad certum tempus data erant, eaque alienare vetabantur, & morte usufructuarii, aut finito concessionis tempore ad commune ecclesiae aerarium revertebantur; *sic tamen, ut haec ipsa non perpetuo, sed temporaliter perfruantur*, quae sunt verba Symmachi pontificis de praediis, quae episcopi utenda concedebant (a). Et synodus Aurelianensis I decernit, nihil obstare longam possessionem, quominus praediola, quae clericis aut monachis excolenda vel tenenda concessa sunt, ad ecclesiam revertantur (b). In usu tum non erat beneficii vox, & sic data praedia *ex remuneratione*, *munificentia*, *dono*, *gratia*, *precario*, *largitate*, *misericordia*, *in usu*, *in usufructu* ab episcopo concessa dicebantur, quod pluribus Boëhmerus illustrat (c). Ceterum praediis istis quocumque nomine concessis vera beneficiorum natura non inerat: id enim habent proprii ecclesiastica beneficia, ut stati reditus singulis titulis & ministeriis perpetuo adsignentur.

Quandonam perpetui reditus paroeciis fuerunt addicti?

§. III. Haec ipsa praediorum in usumfructum

(a) *Can. LXI C.16. q. 1.* (c) *Conc. Aurelian. can. cit.* (d) *Confer. Boëhmerus lib. III. jur. ecclesiast. tit. 5. §. 52.*

ctum concessio videtur in caussa fuisse, cur perpetui reditus singulis titulis darentur, quos inde clerici ipsi perciperent. Sane in Occidente oblationes, quae fiebant ad altare, multis ecclesiis ruralibus sexto saeculo addictae sunt, sed salva plerumque tertia aut quarta episcoporum portione, quod ex concilio Aurelianensi I anno IↃXI celebrato constat (a). Aliquid incommodi habere videbatur frequens illa oblationum ad episcopum delatio, praesertim si paroeciae longum ab ecclesia cathedrali distarent. Paullo post iisdem ruralibus ecclesiis stati ex fundis reditus adsignari coeperunt, sed interim omnia, quae offerebantur ecclesiis urbanis, in matris ecclesiae aerarium confluebant. Constat enim ex concilio Aurelianensi III anno IↃXXXVIII, plures fuisse rurales paroecias, quibus proprii reditus ex fundis erant addicti (b). Nec dissimilis in Oriente per hoc tempus vigebat disciplina: nam ex Justiniani novellis qui ecclesias aedificabant, eis congruam dotem adsignare tenebantur, quae in usum ibidem ministrantium perpetuo cederet (c). Semel recepti mores in Occidente sensim confirmati & latius producti sunt, idque tum occasione ecclesiarum, quas privati in suis fundis extruebant; quos enim eis adsignabant reditus, in usus clericorum ibidem servientium speciatim addicebant; tum etiam quod non semper ex fide bona communis aerarii procedebat ad-

(a) *Can. VII. C. 10. q. 1.* (b) *Conc. Aurelianense III. can. V.* (c) *Novell. LVII. cap. 2., novel. CXXIII. cap. 18.*

administratio: atque ita commodius visum est, ftatos reditus paroeciis agrestibus adsignare, quam earum clericis ex communi penu, saepe tam longe posito, necessaria praeberi. Et profecto quaelibet agrestis ecclesia nono saeculo praeter dotem, quae constabat decimis, oblationibus & manso, aliis fundis erat instructa (a). Mansus erat certa agri portio ab omni servitio immunis, quae ecclesiis veluti dos congrua adsignari solebat, tantusque ejus modus erat, ut inde sacerdos vivere posset & divinus cultus exhiberi (b). Interim ecclesiae urbanae antiquam servabant disciplinam, quae & ipsa tandem desuevit, & proprii stabilesque reditus eis adnexi sunt.

Quando perpetui reditus canonicatibus adfixi.

§. IV. Atque ita paullatim invaluerunt paroecialia beneficia, quae curam animorum habent ádnexam: praebendae vero canonicales natae sunt a partitione bonorum, quae a canonicis in communi olim possidebantur. Nimirum octavo saeculo ád clericalis disciplinae jam collapsae reparationem clerici auctore Chrodogango episcopo Metensi in communem & regularem vitam coaluerunt, & hinc *canonici* dicti sunt. Felici successu canonica clericorum vita per Occidentem propagata est, quorum alii vel cum episcopo in domo episcopali, vel in aliis claustris sub praeposito vivebant (c). Principum, epi-

(a) *Can. XXV. C.* 23. *q.* 8. (b) *Conf. Cangius v.* mansus ecclesiasticus. (c) *Confer. superius dicta par. I. cap.* 19.

episcoporum aliorumque christianorum largitionibus in immensum aucta canonicorum praedia & reditus. iisque etiam variae ecclesiae cum suis reditibus addictae. Non diu autem canonica clericorum vita perduravit, nam ii propria ducti cupiditate & negligentia episcoporum in summa faeculi decimi confusione claustra relinquere coeperunt & in saeculum redire, Christi patrimonio in varia frustula tributo (*a*). In primis in ecclesiis cathedralis bona inter episcopum & collegium divisa sunt, & hinc distinctio inter *mensam episcopi*, & *capituli*; & inde ipsa mensa capituli cathedralis, ut & reliquorum capitulorum, abiit in tot frustula, quot erant canonici, eorumque ministeriis perpetui reditus addicti sunt, quos ipsi perciperent. Relicta communi vita canonici pristinum retinuerunt nomen, dicti tamen sunt *canonici saeculares* ad differentiam eorum, qui inde arctiori vinculo sub nomine *canonicorum regularium* in vitam communem coaluerunt.

Beneficia instituta exemplo feudorum.

§. V. Vox autem *beneficii* ab jure feudali in ecclesiam translata est, idque merito, nam beneficia ecclesiastica ad instar feudorum videntur invaluisse. Origine sua feuda seu saecularia beneficia praedia fuerunt, quae loco stipendiorum pro servitio militari & fide praestabantur: cujus generis praedia a Germanis & septentrionalibus populis habent originem, & ferme per universam Europam recepta sunt. Et profecto Romani sti-

(a) *Trithem. ad an. IↃCCCCLXXV.*

ſtipendia militibus ex publico aerario praeſtabant: & ſi quando praedia militibus dederunt ea non erant loco ſtipendiorum, ſed potius praemia bene defunctae militiae veteranis in proprietatem data: quae praedia Paulus juriſconſultus memorat (a). Tantum a tempore Alexandri Severi praedia ab hoſtibus capta dari coeperunt militibus limitaneis, ut attentius militarent, ſi etiam ſua rura tuerentur, quod Lampridius teſtatur (b). At Germani olim aerario erant deſtituti, nec adeo aere gravi abundabant: hinc militibus ſuis & vaſallis pro ſervitio militari & obſequio agros, quibus abundabant, dederunt, qua ratione imperia ſua faciebant firmiora. Agri iſti fiſcales mediis faeculis *beneficia* dicta ſunt (c). & inde Germanica voce *feuda*. Initio tantum ad vitam, ſeu quouſque durabat ſervitium, conceſſa feuda, lapſu vero temporis evaſerunt perpetua & in heredes tranſlata ſunt. Hanc militarem diſciplinam eccleſia in iſtitutione beneficiorum expreſſit; data enim ſunt primum clericis praedia eccleſiarum in uſumfructum pro ſervitio ad inſtar ſalarii ſeu ſtipendii, quae, officio per mortem finito, ad eccleſiam revertebantur: & tandem praedia & ſtati reditus ſingulis miniſteriis perpetuo addicti ſunt, qui propterea morte beneficiarii non amplius in commune aerarium revertuntur, ſed dantur clerico in officium ſuccedenti. Qua inducta diſcipli-

---

(a) *L. XI D. de evictionib.* (b) *Lamprid. in Alexandro Severo cap. LVII.* (c) *Confer. Cangius v.* beneficium.

plina etiam beneficii vocem ecclesia ab jure feudali mutuata est, ad significandum praedium seu jus ipsum percipiendi reditus ecclesiasticos pro servitio sacro tributum (a).

Explicatur vox praebenda.

§. VI. Porro a re militari desumta est *praebendae* vox, qua multa inferiora beneficia praesertim canonicorum denotantur. Erant *praebenda* Latinis neutro genere, & sequiore latinitate *praebendae* annonae seu victus & vestium praestationes militibus exhiberi consuetae (b). Similiter in re ecclesiastica primum sportulae distributionesve quotidianae, quae clericis vitam communem agentibus & monachis praestabantur, *praebendae* audierunt. Hinc distincta erant *beneficium* & *praebendae*; nam illo praedia ad vitam clericis dari solita, ista vero quotidianae ex reditu communi distributiones significabantur (c). Postquam vero canonicorum communis vita defecit, retentum est praebendae nomen, eoque dicti sunt reditus, qui ministeriis canonicorum perpetuo adhaeserunt: quo sensu *praebendam annuam* Ivo Carnotensis usurpavit (d), & canonicales praebendae sunt ipsi canonicatus, seu canonicorum beneficia. Ceterum non omnes canonici continuo praebendarii sunt, nec omnes canoniae praebendae, ut contra non omnes praebendae sunt canonicatus. Etenim canonia

 stri-

(a) *Petrus de Marca lib. III. marcae Hispan. cap. VIII.* (b) *Confer. Cang. v.* praebenda.
(c) *Capit regum Franc. addit. III. cap.* 112.
(d) *Ivo Carnotes. ep. CCXIX.*

ſtricte ſic appellata eſt ipſum canonici munus & officium, quod interim poteſt eſſe ſine praebenda, ſeu certo fixoque reditu; qui tum ei datur, ſi aliqua praebenda vacet. Hinc ad differentiam earum canoniarum, quae nondum praebendis auctae ſunt, dicuntur *canoniae praebendae*, quae omnia ſcite Cujacius proponit (*a*).

Beneficium debet eſſe perpetuum.

§. VII. Explicata beneficiorum origine eorum naturam aperiamus oportet. Tria ſunt quae beneficii eccleſiaſtici naturam conſtituunt: debet nimirum eſſe perpetum; auctoritate eccleſiaſtica inſtitutum; & dari propter ſacrum officium. Et ad primum quod ſpectat, beneficium debet eſſe perpetuum, hoc eſt quouſque vivit beneficiarius. Per ordinationem ex regulis canonicae diſciplinae clerici certae eccleſiae adſcribi debent, quibus perpetuo deſerviant, & unde ob praeſtitum miniſterium accipiebant alimenta (*b*). Quum vero beneficii datione ad certum miniſterium in eccleſia obeundum beneficiarii vocentur: conſequens eſt, ſic eos eccleſiae adſcribi, ut eidem perpetuo inſerviant, niſi ex juſta cauſſa ab epiſcopo ad aliam eccleſiam transferantur, aut ipſi beneficium ſuum abdicent, aut propter crimen tamquam indigni priventur. Itaque perpetuum durante miniſterio, etiam jus ad proventus perpetuum ſit oportet. Hinc ex communi ſententia longe diſtant a natura beneficiorum *laicales cappellaniae*, ut vocantur, & le-

(a) *Cujac. in tit. decretal. de praeb. & dignit.*
(b) *Confer. dicta par. I. cap.* 27.

& *legata pia* : nam etsi obligent ad missarum celebrationem aut aliud sacrum officium ; tamen pro arbitrio conferuntur & auferuntur .

Et sacra auctoritate institutum .

§. VIII. Porro non est beneficium nisi sacra accedat auctoritas , puta episcopi aut pontificis , qua illud in titulum beneficii erigatur & excitetur . Conflatur beneficium ex jure ad proventus & sacro officio ; quum vero reditus ecclesiastici & multo magis sacra ministeria nisi ex sacra ecclesiae auctoritate nequeant dispensari ; fit profecto , ut nullum intelligatur beneficium , quod episcopi aut pontificis potestate non constituatur & fundetur (*a*) . Hinc *laicales capellaniae* & *legata pia* mera stipendia aut eleemosynae ab omnibus censentur , etsi ex voluntate testatoris in perpetuum dentur , si episcopi auctoritate in beneficii titulos non attollantur : & eorum reditus , quo usque sacra auctoritas non accesserit , ipsi patroni possunt procurare cum onere implendi officia injuncta per idoneas personas , nisi fundator ipse reditus perceptionem capellano tribuerit . Non erigit vero episcopus beneficia , nisi satis bonorum officiis adnectatur .

Beneficium datur propter officium .

§. IX. Quod tertio loco ad naturam ecclesiastici beneficii requiritur , est , ut detur propter sacrum officium . Nec enim alio jure licet clericis de altari vivere ; quam quod altari ser-

S 2 viant

(a) *Confer. Cabassut. jur. canon. theoria & prax. lib. II. cap. 1. n. 2.*

viant (a). Nomine autem sacri officii in hac caussa venit juge servitium in functionibus beneficiario demandatis, ratione cujus operarius dici queat & pastor seu cooperator in ecclesia administranda (b). Tantum enim clericis operariis jus est vivere de bonis ecclesiasticis: & operarii non dicuntur, nisi qui integros ferme dies operibus suis insumunt. Nihil in hac caussa ab antiqua differt nova ecclesiae disciplina. Nam ut olim clerici juge servitium ecclesiis impendentes de communi massa sportulas accipiebant; ita institutis beneficiis juge officium impendere debent, quo fructus suorum beneficiorum jure percipiant. Sane Innocentius III docet, ecclesiastica beneficia instituta, ut per beneficiarios *in ecclesiis devotum servitium jugiter impendatur* (c). Et Tridentini Patres adfirmant, *beneficia ad divinum cultum atque ecclesiastica munia obeunda esse instituta* (d). Quod si aliquod a divino ministerio tempus vacuum supersit, illud orationi, lectioni scripturarum & canonum, & bonis & religiosis operibus impendendum est. Hinc manifesti erroris convincuntur, qui officium, propter quod dantur ecclesiastici proventus, censent esse horarum canonicarum recitationem. Operarius profecto in vinea domini non est, qui parvi temporis spatio orationi vocis impendit, & quidem saepe iis, quae leguntur

---

(a) *Conf. superius dicta cap. XL. §. 5.* (b) *E. Spen. diss. de off. & instit. canonic. par. I. cap. 2.* (c) *Innoc. III. lib. I. ep. 82. ad Auxitan. archiep.* (d) *Trid. sess. XXI. de ref. cap. 3.*

tur, non intellectis. Nata videtur portentosa ista sententia ex illo vulgato *beneficium datur propter officium*: nam nomine *officii* ex vulgari sententia horas canonicas interpretati sunt (*a*).

Beneficia olim adnexa ordinationi.

§. X. Quum beneficia dentur propter officium, & tantum ordinibus initiati officiis ecclesiasticis rite funguntur, fit profecto, ut beneficia origine sua ordinationi adhaereant, eamque consequantur. Et veteri quidem disciplina dum reditus omnes ecclesiae in communi procurabantur, jus ad proventus clerici in ordinatione adquirebant: & si jam ordinatis clericis novum munus episcopus demandaret, ante quaesitum ad proventus jus manebat. Quibus stantibus moribus ordines & sacra ministeria magni fiebant, non reditus, qui pro necessitate ad honestam cujusque sustentationem ex communi massa dabantur. Institutis deinceps beneficiis etiam per ordinationem beneficia collata sunt, idque officium ecclesiasticum, propter quod proventus dabantur, plane postulabat. Sed temporis lapsu nexus ille inter sacram ordinationem & proventus abruptus est, & ordinatione quidem tantum data potestas ad sacra obeunda, beneficiis vero officia cum suis statis reditibus perpetuo demandata. Ita veluti ordinario jure ordines & beneficia seorsim conferri coeperunt. Tanta mutatio in summa saeculi decimi confusione praesertim contigit, eique tributa inter canonicos bona ecclesiarum fortasse dederunt occasionem:

no-

(a) *Confer. Sarpius materie benefiziar. n. XXXII*

novi enim, qui supra numerum praebendarum ordinabantur, clerici ab altari alimenta accipere non poterant, atque adeo nudam sacris operandi consequebantur potestatem. Nihil ecclesiae exitialius abrupto illo inter sacram ordinationem & proventus nexu, inde enim non tantum novis regulis crevit res canonica, verum etiam disciplina ferme omnis intercidit. Et profecto inde natae variae beneficiorum divisiones, multae regulae procusae, quae jus collationis, modum, formam, aetatem & qualitatem beneficiariorum stabilirent; quae omnia in veteri disciplina cessabant, tantumque antiqui canones de sacris ordinationibus & ordinandorum qualitatibus statuebant (a). Inde ordines, qui jus non dabant ad proventus, contemtui fuerunt; contra magni facta beneficia, quibus reditus uberiores plerumque erant adnexi; inde multi sine beneficio ordinati, & crevit numerus clericorum, qui, quod non haberent ab ecclesiis congrua alimenta, incerti vagabantur, aut sordidis artibus se dabant.

Beneficia majora quae sint.

§. XI. Quod vero varii generis sunt ecclesiastica officia, quibus perpetuo reditus cesserunt, varium quoque oportet esse genus beneficiorum. Principio beneficiorum alia sunt majora, alia minora. Majora dicuntur, quibus gradus primores in ecclesia cum cura animarum & sacra jurisdictione adhaerent, qualia sunt papatus, patriarchatus, archiepiscopatus

(a) *Confer. Duaren. de sacr. minist. lib. II. cap. 3. & Espen: par. II. tit. 21. cap. 1.*

tus, episcopatus & cardinalatus saltem eorum sententia, qui illum inter beneficia recensent. His addi solent abbatiae, quorum abbates cum jure perpetuo ad proventus in sibi subjectos quasi episcopalem exercent jurisdictionem. Ceterum beneficii nomine generatim sumto beneficia ista majora non veniunt, atque adeo nec dignitatis vocabulo, quum sint dignitatum apices.

Quae sint & qui natae dignitates.

§. XII. Minora beneficia censentur reliqua omnia ecclesiastica & monastica officia, quibus proprii stabilesque reditus adhaerent, cujus generis sunt dignitates, personatus, beneficia curam animarum habentia & reliqua omnia, quae simplicia audiunt: quamvis dignitates σχέσει relatione ad cetera minora inter majora beneficia censeantur. Nomine *dignitatis* in monumentis ecclesiasticis aliquando venit omnis ecclesiasticus gradus seu honor (a): aliquando omnis administratio, cui inest jurisdictio; at in praesenti dignitas est beneficium, cui sub episcopo proprii reditus & jurisdictio insunt (b). Sic acceptae dignitates melioribus ecclesiae saeculis ignotae fuerunt: etenim officia omnia ecclesiastica sub episcopo, ut plurimum erant merae delegationes, quibus nulla propria inerat jurisdictio, quam naturam stante canonicorum vita communi etiam retinuerunt (c). Excussa inde vita communi singulis officiis & perpetui reditus dati sunt, & de-

---

(a) *Can. IV. D. 51.* (b) *Conf. Duaren. lib. II. de sacr. minister. cap. 6.* (c) *Conf. Espen. par. II. tit. 18. cap. 2.*

& delegata illa poteſtas negligentia epiſcoporum cum ipſis officiis coaluit. Quo exemplo deinceps in novis canonicorum collegiis fundatione variae dignitates inſtitutae ſunt. Variant autem in numero & ordine dignitatum eccleſiarum inſtituta, immo ſubinde in una eccleſia canonicatus ſeu merum officium eſt, quod alibi dignitas reputatur: cujus varietatis ratio inde petenda eſt, quod dignitates potius uſu & fundatione, quam generali eccleſiae decreto invaluerunt. Hinc recte monent interpretes, eccleſiarum varios mores inſpiciendos, ut numerus & ordo dignitatum innoteſcat (a). Ceterum moribus hodiernis revocata ad epiſcopos ferme omni ſpirituali juriſdictione jacent in pleriſque eccleſiis dignitates, tantum nomine & nobilioribus ſedibus in choro retentis: & hinc *ventoſae* & *inanes* audiunt (b).

Quid perſonatus *ejuſque ſpecies*.

§. XIII. Vox *perſonatus* in pontificum decretalibus aliquando eadem eſt ac dignitas (c), quaſi qui dignitate aucti erant, longe perſonarent, quo ſenſu *perſonatus* in mediae aetatis monumentis ſaepe ſonat (d). At in ſpecie *perſonatus* nomine paſſim intelligunt interpretes beneficium, cui aliqua praeminentia ſine juriſdictione ineſt, veluti in choro ſedes nobilior. In eccleſiaſticis monumentis ante ſaeculum decimum vix occurrit vox *perſonatus* ad aliquod ſacrum offi-

(a) *Pinſon. de benef. cap. IV.* §. 20. (b) *Fagnan. ad cap.* ad haec *ex. de praebend.* (c) *Cap. VIII. ex. de conſtitut. cap. VIII. ex. de reſcrip.* (d) *Conf. Cangius v.* perſonatus.

officium designandum: & dubio procul a *personis* derivata est. Dicebantur autem *personae* apud Gallos presbyteri vicarii, qui ecclesiis, quae monachis & canonicis erant addictae, modico proventu, sed titulo penes illos remanente, inserviebant (*a*). Hoc exemplo invaluit mos, ut clerici abstinentes sacerdotio, per personas seu vicarios ecclesiis deservirent, & ad se potiorem redituum partem traherent, quem morem utpote coacervationi beneficiorum faventem Io. Saresberiensis sugillat (*b*). Itaque personatus erat ecclesia seu beneficium, cujus cura vicariis committebabur; tantumque differebant a ceteris beneficiis, quod duplici beneficiario donabantur, quorum unus titulum & potiorem fructuum partem percipiebat, alter vero sub nomine personae seu vicarii modico proventu officium sustinebat. Erat autem personatus cum cura animorum vel sine ea, prout erat ministerium, quod per personas gerebatur (*c*): & in antiquis monumentis modo ad eos, quibus ecclesiae seu officii titulus adhaerebat, modo ad personas refertur (*d*). Quae quum ita sint, interpretes unam personatus speciem definiunt, eum scilicet qui penes tituli possessorem residet. Ceterum in materiis, quas dicunt *odiosas*, no-

---

(a) *Can. IV. C. 1. q. Conf. P. de Marca in can. VII. Claromont.* (b) *Jo. Saresberiens. policrat. lib. VIII. cap. 17.* (c) *Conf. Cujac. in tit. decretal. de praeb. & dignit.* (d) *Cap. IV. ex. de filiis presbyteror. & cap. VI. de praebend. in 6.*

mine beneficii dignitates & personatus non veniunt, quod plerumque nomine beneficii non solent designari.

Beneficia curata & simplicia.

§. XIV. Inter minora beneficia censentur, quae *curata*, & *simplicia* appellari consueverunt. *Curata* sunt, quae animorum curam pro foro interiore habent adnexam, qualia sunt paroeciales curae, Sic stricte interpretes accipiunt curata beneficia; nam si cura spiritualis tantum pertineat ad forum externum, vi cujus beneficiarius censuras infligit & ab iis absolvit, tum beneficia ista curatorum nomine non veniunt. Beneficia vero *simplicia* vocantur, quae curam animorum adnexam non habent, sed beneficiarii aliter divinae rei incumbentes officio suo satisfaciunt, qualia sunt praebendae canonicales & cappellaniae sive in cathedralibus, sive in aliis ecclesiis, sive seorsim fundatae, in quibus capellani vel horarum canonicarum, vel missarum recitatione officio suo defungi censentur. Ceterum cathedralium & collegiatarum canonicales praebendae etsi inter simplicia beneficia habeantur, accedunt tamen ad dignitates (a); & in odiosis nomine simplicium beneficiorum non veniunt. Alio quoque sensu saepe sumitur simplex beneficium, pro eo nempe, quod assiduitatem in loco beneficii non requirit.

Beneficia alia saecularia, *alia* regularia.

§. XV. Porro beneficiorum alia sunt *saecularia*, alia *regularia*. Saecularia sunt, quae spe-

(a) *Cap. XI. de rescript. in 6.*

ſpectant eccleſiaſticum miniſterium ſtricte ſic dictum, quo monaſtica officia non continentur: dictaque ſunt ſaecularia hujus generis beneficia, non quod laicis conferri poſſint, ſed quod regularibus opponantur. Regularia vero ſunt, quae monaſticam ſpectant diſciplinam, aut quae per monachos regi conſueverunt. Et hinc abbatiae & reliqua officia clauſtralia ſuis propriis donata reditibus regularia beneficia audiunt, & praeterea dantur alia beneficia regularia, quae quidem non monaſtico, ſed potius eccleſiaſtico officio cenſentur, qualia ſunt ſaecularia beneficia, quae per monachos adminiſtrari ſolent. Adquiſita autem ſunt monachis ſaecularia iſta beneficia vel fundatione, vel incorporatione, quod nempe monaſteriis adnexa ſint, aut quadraginta annorum praeſcriptione. Quae omnia veram eſſe demonſtrant regulam paſſim propoſitam, omnia ferme beneficia eſſe ſaecularia, niſi monaſticam ſpectent diſciplinam, aut per monachos quaeſita probentur (a).

Qui exorta regularia beneficia.

§. XVI. Vtriuſque generis regularia beneficia ex lapſa monachorum diſciplina originem habent ſuam. Et quod ſpectat ad ea, quae monaſtico officio cenſentur, ex regulis monaſticis officia omnia monaſteriorum merae obedientiae & adminiſtrationes erant, quae ex abbatum arbitrio delegabantur & auferebantur: monachique omnes etiam abbates & officiales ex communi monaſterii reditu alebantur. At inde lapſa

(a) *Confer. Eſpen. par. II. tit. 18. cap. 2. n. 3 ſeqq.*

monachorum disciplina inter monachos nata sunt beneficia, communibus manasterii reditibus in tot frustula divisis & cuique officio sua parte firmiter adnexa. Omnium primum inter abbates & monachos bona monasterii tributa sunt, & hinc nata *mensa abbatis* & *mensa communis*, continebatque mensa abbatis reditus ejus officio perpetuo adnexos, cujus divisionis saeculo XII exstant exempla (*a*). Inde malo abbatum exemplo officiales partem sibi quisque suam a communi mensa vel impetrarunt, vel abstulerunt: quin ipsae monachorum praebendae in beneficia degenerarunt. Paupertati monasticae, quae in monasteriis omnia communia esse jubet, adversantur separati isti reditus firmiter monasticis officiis adstricti; & hinc nec in omnibus monasteriis regularia ista beneficia invaluerunt, & mendicantes prorsus ea repudiarunt. Et Tridentini patres restituendae monasticae disciplinae studiosi inter monachos nulla amplius institui beneficia voluerunt, recepta vero videntur tolerasse (*b*); quo factum, ut multa adhuc supersint. Similiter quousque stetit monachorum disciplina, ministeria ecclesiastica extra monasterium non secus ac in saeculo versari a monachorum institutis aliena visa sunt.

CA-

(a) *Thomass. par. III. lib. 2. cap. 26. n. 4.* (b) *Trid. Sess. XXV. de regul. cap. 2.*

CAPUT XLIV.

De beneficiorum adſiduitate.

Quid adſiduitas beneficiariorum.

§. I. NOmine *adſiduitatis* in cauſſa beneficiorum intelligimus continuam moram in eccleſia beneficii, ut injuncta ſibi munera beneficiarius per ſe poſſit exercere. Hoc ſenſu voce *adſiduitatis* Alexander III. uſus eſt (*a*), eamque etiam adhibet Franciſcus Duarenus (*b*), qui alias Latinis vocibus minus Latina rei canonicae verba efferre delectatur: at in recentioribus monumentis adſiduitas beneficiariorum paſſim *reſidentiae* nomine appellatur, minus quidem Latino vocabulo, ſed quo res ipſa abunde denotetur. Adſiduitas autem in beneficiis eo ſpectat, ut beneficiarii ipſi officia ſibi impoſita explicent: atque ita non mera eſt localis & deſidioſa praeſentia, ſed laborioſa (*c*). Et profecto ſententia eccleſiae non longe diſtant ab abſentibus adſidui epiſcopi & beneficiarii, qui ſibi injuncta onera parum curant, reditibus colligendis & ſaeculi curis praecipue intenti (*d*).

Clerici omnes in eccleſiis ſuis adſidui.

§. II. Veteri ſtante diſciplina, qua jus percipiendi ab eccleſia ſportulas ordinationi erat in-

fi-

(a) *Cap. XIII. ex. de praebend.* (b) *Duaren. de ſacris miniſter. lib. VIII. cap.* 5. (c) *Trid. ſeſſ. VI. de ref. cap.* 1. (d) *Cap. II. ex. de translat.*

fixum, clerici omnes una & perpetua immorandi in ecclesiis suis lege tenebantur, ut juge impenderent ministerium (*a*). Id equidem postulabat rectus ordo ecclesiae regendae, ne clerici sine certa ecclesia ordinati incerti & instabiles omnia turbarent, non secus ac milites nulli duci adstricti. Ergo ordinatio ipsa perpetuo clericos suis ecclesiis addicebat, quae idcirco dicebatur *ad titulum*, seu *loco fundata* (*b*), cui opponebatur ἀπόλυτη *libera*, & *absoluta* seu sine ecclesia ordinatio, quam tamquam ἄκυρον *nullam* & *vanam* patres Chalcedonenses exploserunt (*c*). Suis ecclesiis adfixi clerici inde alimenta accipiebant, tantumque ex sententia episcopi ad alias ecclesias dimittebantur (*d*): quo casu solvebantur quidem nexu ecclesiae suae, at statim alteri perpetuo adnectebantur. Quod si clericus a suo episcopo non dimissus ad aliam ecclesiam transiret, munere suo cadebat, aut deponebatur; episcopus vero, qui recepisset, segregabatur (*e*). Quousque beneficia adhaeserunt ordinationi, haec clericos ecclesiis perpetuo addixit: nam ubi clerici sine beneficio creari coeperunt, facile iis fuit proprias ecclesias, unde nullas sportulas accipiebant, dimittere. At mens ecclesiae semper eadem fuit, semperque clericos vagos & instabiles detestata est: & demum

(a) *Conf. Thomass. par. II. lib.* 1. *cap.* 1. *seqq.* (b) *Leo M. ep. XCII. ad Rustic.* (c) *Conc. Chalced. can. VI.* (d) *Conc. Trull. can. XVII.* (e) *Can. apost. XV. seq.*, *conc. Antioch. can. III.*, *conc. Chalced. can. XX.*, *conc. Arelat. I. can. XXI.*

mum Tridentini patres canonem Chalcedonensem de ordinationibus loco fundatis innovarunt (a).

Episcopi in suis ecclesiis morari tenentur.

§. III. Lex ista, quae clericos adsiduos esse jubebat in ecclesia, cui eos adfixerat ordinatio, multo magis locum habebat in episcopis & parochis, quibus primario commissa est dioecesis aut paroeciae sollicitudo. Et quamvis apostoli in solidum videntur ecclesiam administrasse; tamen ubi singulis pastoribus portio gregis commissa fuit, quam unusquisque regeret & gubernaret; etiam ipsi episcopi ecclesiis suis, dum ordinabantur, perpetuo adfixi sunt, stabilesque evaserunt. Hinc multi olim prodierunt canones, quibus adsiduitas episcoporum firmaretur. Concilium Sardicense vetat, ullum episcoporum εἰς τὸ στρατόπεδον, ad castra imperatoris, accedere, praeter eos, quos imperator suis arcessat litteris (b); adeo ut si necessitas urgeat pro miseris apud imperatorem deprecari, diaconi ad aulam ire debeant episcopi nomine, ne episcopus neglecti muneris reus habeatur (c). Et patres Carthaginienses non permittunt, ut episcopi *relicta principali cathedra ad aliquam ecclesiam in dioecesi constitutam se conferant* (d). Sequenti aetate etsi episcopi saepe ab ecclesiis suis abessent, tamen ecclesiae sententia semper eadem fuit, multique conditi canones, quibus illi ad adsiduitatem revoca-

(a) *Trid. ses. XXIII. de ref. cap.* 16. (b) *Conc. Sardic. can. VII.* (c) *Conc. Sardicen. can. VIII.* (d) *Conc. Carthag. V. can. V.*

earentur (*a*). Demum Tridentini patres duobus decretis laboriosam episcoporum adsiduitatem restituerunt (*b*), ubi etiam aperte insinuarunt, jure divino ecclesiis suis episcopos perpetuo devinci. Et mirum profecto est, Tridentinos theologos disputasse, utrum jure divino episcopi residere teneantur, quando cura gregis jure divino illis demandata est; nisi fortasse interfuisset ea de re disputari.

Beneficia omnia obligant ad adsiduitatem.

§. IV. Distractis ab ordinatione beneficiis eadem ratio, quae clericos ecclesiis suis perpetuo adfigebat, in beneficiariis locum habuit, qui propterea adsidui in ecclesiis suis esse coacti sunt. Beneficia nimirum dantur propter ecclesiastica ministeria, quae per se beneficiarii in suis ecclesiis tenentur explere. Quin arctius videri potest vinculum adsiduitatis in beneficiis prae illo, quod involvebat ordinatio, si ex ampliori redituum proventu res aestimetur. Etenim sportulae clericis olim datae necessitati respondebant; beneficia vero saepe reditus tribuunt uberiores. Obligant autem ex generali canonum regula ad adsiduitatem beneficia prorsus omnia (*c*); nam singula dantur propter ecclesiasticum ministerium, quod vicaria alterius opera non recte impletur. Quae enim officia industriam personae requirunt, vicariam alterius ope-

---

(a) *Confer. Thomass. part. II. lib.* 3. *cap.* 30. *seqq.* (b) *Trid. sess. VI. de ref. cap.* 1. & *sess. XXIII. de ref. cap.* 1 (c) *Cap. III. ex. de cleric. non resid. Conf. Thomass. par. II. lib.* 3. *cap.* 34.

operam excludunt, aeque per se quisque debet explere: nam *& inter artifices longa differentia est & ingenii & naturae & doctrinae & institutionis*, ut recte jurisconsultus observat (*a*). Talia sunt ecclesiastica ministeria, in quibus idcirco committendis ecclesia industriam & personales dotes requirit; quo enim rectius illa explentur, & beneficiarii sanctius vivunt, eo magis ecclesia in sanctitate & virtutibus proficit.

Quî neglecta est in beneficiis adsiduitas.

§. V. Quamvis autem adsiduitas beneficiis omnibus intrinseca sit; tamen labentibus annis, praesertim vero post saeculum septimum in Occidente paene omnis defecit, adeo ut non solum beneficiarii inferiores, sed etiam ipsi episcopi passim extra suas ecclesias versarentur. Principio barbarorum frequentes incursiones episcopos ab ecclesiis suis saepe abesse coëgerunt. Deinde propter feuda ecclesiis & monasteris collata adsidui esse debuerunt episcopi & abbates apud reges, sive ad obsequia, sive ad militiam exhibendam, sive quod regni comitiis debebant interesse (*b*). Invaluit quoque antea inauditum dogma, posse episcopos & beneficiarios recte uti vicaria alterius opera ad implenda sibi commissa ministeria. Quî praeterea integra stare poterat adsiduitas beneficiorum in magna illa saeculi decimi confusione, qua ipsa omnium ecclesiarum princeps Romana a lupis potius & mercenariis, quam pastoribus occupata gemuit? Nec

(a) *L. XXX. D. de solutionib.* (b) *Conf. Murator. diss. LXXI. antiq. Italicar.*

praetereundae sacrae peregrinationes, quae ex genio ejus aetatis etiam ab episcopis suscipiebantur, parvique aestimabatur gregem sibi commissum relinquere, modo Christi & sanctorum inviserentur sanctuaria (a). Expeditiones porro sacrae in Palaestinam exeunte saeculo XI. susceptae & deinceps continuatae multos episcopos & clericos ab ecclesiis suis distraxerunt. Et multitudo negotiorum ex universo Oecidente Romam devoluta eo beneficiarios confluere coëgit: *Beneficia, quae ad adsiduitatem non adstringunt*.

§. VI. Ex his aliisque caussis adsiduitas beneficiorum paene omnis deficit, jamque saeculo decimo & deinceps ferme omnes ecclesiae a suis pastoribus erant derelictae. Ubi primum saeculo XI inclinante a tanta calamitate respirari coeptum est & instaurari, quae collapsa erant, eae quidem conditae sunt regulae, quae beneficiarios. immo clericos omnes, ad adsiduitatem compellerent (b). Sed ulcus alte insederat, nec totum simul cedebat curationi: ac propterea curae interim fuit mala exitialiora mederi, dilata minorum morborum curatione. Ergo conditi canones. qui in parochiis, dignitatibus & praebendis canonicorum omnino restituerent juberentque adsiduitatem, silentio omissis reliquis beneficiis (c); non quod ecclesia sentiret, recte re-

(a) *Conf. Fleuryus discur. III. in hist. eccles. n.* 5.
(b) *Conf. Thomass. par. II. lib.* 3. *cap.* 6. & 34.
(c) *Cap. III. ex. de cleric. non resident.*, *cap. V. & XXVIII. ex. de praebend.*, *cap. IX. ex. de concess. praebend.*

reliquos beneficiarios ecclesiis suis abesse, sed quod majora mala in primis curare oportebat, Interim hoc de adsiduitate reliquorum beneficiorum silentio, tolerantia & impunitate sensim post Alexandrum III invaluit, paroecias, dignitates & canonicatus ad adsiduitatem obligare, non vero reliqua inferiora beneficia (*a*), quae propterea *simplicia* dicta sunt. Novitas ista sub Gregorio IX jam recepta erat (*b*), magisque deinceps firmata est sententia illa, quae officium in beneficiis meram horarum canonicarum recitationem etiam privatam interpretatur. Ita invaluit distinctio beneficiorum *incompatibilium* & *compatibilium*, ut passim vocantur. Deinceps jamdiu admissam disciplinam de non necessaria adsiduitate in simplicibus beneficiis Tridentini patres retinuerunt, seu potius tolerarunt (*c*); nam Tridentina sententia est, clericos omnes ecclesiis suis perpetuo adscribi (*d*).

Quibus caussis fas est beneficiariis ecclesia sua abesse.

§. VII. Interim aliquando ex justis probatisque caussis episcopi & reliqui beneficiarii, qui adsidui esse jubentur, possunt extra suas ecclesias versari & quidem extra culpam: si nempe beneficiarius absentia sua aeque, aut magis ecclesiae sive suae, sive universali, sive reipublicae prodesse valeat, quam adsiduitate. Ex concilii Tridentini recensione fas est episcopis ecclesias

V 2 suas

(a) *Thomass. cit. cap.* 34. *n.* 3. (b) *Cap. ult. ex. de cleric. non resident.* (c) *Trid. sess. VI. de ref. cap.* 4 & *sess. XXIV. de ref. cap.* 17. (d) *Trid. sess. XXIII. de ref. cap.* 16.

ſuas relinquere & alibi verſari, ſi *chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, debita obedientia ac evidens eccleſiae ac reipublicae utilitas* expoſtulent(*a*). Et reapſe omni aetate ab eccleſiis ſuis epiſcopos avocarunt conſecratio epiſcopi in vicinis eccleſiis, conciliorum celebratio, regimen eccleſiarum vacantium pro tempore vacationis, juſſiones imperatorum & regum, perſecutiones in ipſum epiſcopum, ruinae in rempublicam imminentis deprecatio, aliaeque eccleſiae aut reipublicae neceſſitates ſive utilitates (*b*). Ubi autem una ex legitimis cauſſis ſubſit, judicio ſummi pontificis, aut metropolitani, aut in metropolitani abſentia, ſenioris ſuffraganei reſidentis epiſcopi cauſſa in ſcriptis probanda eſt, niſi abſentia neceſſaria ſit propter aliquod munus & reipublicae officium epiſcopatui adfixum, quo caſu nec metropolitano abſentiae cauſſa ſignificanda eſt (*c*). Canonicis autem licet eccleſiis ſuis abeſſe aut propter epiſcopi ſervitium in iis, quae ſpectant eccleſiam (*d*), modo non ſint ultra duos menſes (*e*) aut propter ſcientiarum ſacrarum ſtudia (*f*). Intereſt enim ipſius eccleſiae, canonicos praeſertim eccleſiae cathedralis, qui ſenatum eccleſiae ex nova diſciplina conſtituunt, rerum ſacrarum peritia cenſeri. Qui vero curam habent animorum ex probatis cauſſis abſentes in id incumbere

(a) *Trid. ſeſ. XXIII. de ref. cap.* 1. (b) *Conf Thomaſſ. par. II. lib.* 3. *cap.* 36 *ſeqq.* (c) *Trid. loc cit.* (d) *Cap. VII. ex. de cleric. non reſidentib* (e) *Cap. XV. ex. eod.* (f) *Cap. XII. ex. eod.* & *cap. ult. ex. de magiſtr.*

re debent, ne interim ullum damnum ecclesiae immineat, eique si non corpore saltem animo adesse procurent.

Brevis absentia beneficiariorum tolerata.

§. VIII. Extra justas & probatas caussas episcoporum & beneficiorum, qui adsidui esse tenentur, brevis absentia, unde non adeo multum damni ecclesiis timetur, impunis est, quin etiam extra culpam, si ex caussa aliqua probabili suscipiatur. Et olim quidem licuit episcopis per tres hebdomadas ecclesiis suis abesse, ad fructus colligendos ex praediis, quae eorum ecclesiae in alienis paroeciis possidebant; quod statuerunt patres Sardicenses (*a*), qui eadem humanitate in presbyteros & diaconos usi sunt (*b*). Supra modum vero genio non bonorum episcoporum Justinianus indulsit, qui per annum eorum absentiam reliquit impunitam (*c*). Quanto rectius Gregorius M. neminem pontificum a paroecia sua saltem parumper absque grandi necessite abire patiebatur (*d*). Ex praesenti disciplina per patres Tridentinos admissa etiam sine superioris venia licet episcopis ecclesiis suis abesse duobus, aut ad summum tribus per annum mensibus sive continuis sive interruptis, modo ex aequa caussa & sine gregis detrimento absentia ista sit, nec incidat in adventum, quadragesimam vel alios primarios dies festos, quibus episcopum in ecclesia

(a) *Conc. Sardic. can. XII.* (b) *Conc. Sardic. can. XVI., conc. Agath. can. LXIV.* (c) *Justin. novel. VI. cap. 2.* (d) *Jo. Diaconus vit. Gregor. M. lib. III. cap. 36.*

clesia cathedrali degere necesse est, nisi episcopalia munia inde eum abstrahant ad alias dioecesis ecclesias (a). Porro ex Tridentinis regulis non licet canonicis ultra tres per annum menses ecclesiis suis abesse (b): quod ita accipiendum est, posse canonicos ex honesta & probabili caussa etiam non impetrata episcopi venia tribus anni mensibus extra ecclesiam suam versari, & fructus lucrari, tantum Deo rationem reddituros; non vero etiam sine caussa licere canonicis pro statuto tempore ecclesiam suam relinquere: quî enim credi potest, voluisse patres genio canonicorum indulgere (c)? Qua indulgentia integras reliquit synodus ecclesiarum constitutiones, quae longius servitium requirunt.

Poenae contra beneficiarios non adsiduos.

§. IX. Adversus beneficiarios in ecclesiis non adsiduos multiplex poena constituta est. Presbyteros & diaconos, qui tribus hebdomadibus ecclesiis suis abfuissent, synodus Agathensis triennio a communione suspendit (d), Trullana vero deponit (e). Justinianus episcopos ultra annum absentes post admonitionem choro episcoporum expelli constituit (f): & hoc plus, ne episcopus ex fructibus ecclesiae aliquid percipiat, ex quo absentiae annus effluxerit (g). Et in

(a) *Trid. sess. XXIII. de ref. cap.* 1. (b) *Trid. sess. XXIV. de ref. cap.* 12. (c) *Conf. Espen par. I. tit.* 7. *cap.* 9. *n.* 5. (d) *Conc. Agath. can. LXIV.* (e) *Conc. Trullan. can. LXXX.* (f) *Justinian. novel. VI. cap.* 2. (g) *Justinia. novel. LXXXVII. cap.* 3.

in decretalibus beneficiarii si ultra sex menses suas deseruerint ecclesias beneficii privatione, suspensione, aut excommunicatione plectuntur (a); liberumque est ordinario antistiti vel ab excommunicatione aut suspensione incipere, & tandem contumacem beneficio spoliare, vel posthabita excommunicatione privationem beneficii decernére, quod Gonzalez observat (b). Antequam vero beneficiarii absentes suis beneficiis priventur, admonendi & citandi sunt, ut revertantur, quia absentiae suae legitimam caussam possunt adferre; sufficitque semel admoneri (c), nisi ubi sint, ignoretur, quo casu trino edicto debent evocari (d). Jure Concilii Tridentini episcopi post trium mensium absentiam fructuum perceptione pro modo absentiae privantur: & crescente contumacia etiam exauctorantur (e). Parochi & alii beneficiarii, quibus animarum cura subest, ex episcopi licentia possunt quidem ad bimestre abesse; at si absint diutius & sine licentia fructus suos non faciunt, & ex contumacia tum intentatis censuris, tum privatione fructuum, tum denique paroeciae privatione coërcentur (f). Et canonici, qui longiori trium mensium absentia extra ecclesias versantur, primo quidem anno media parte redituum exuentur, altero omnibus spoli-

(a) *Cap. XI. ex. de cleric. non resid.* (b) *Gonzalez in cit. cap. XI.* (c) *Cap. VIII. ex. eod.* (d) *Cit. cap. XI.* (e) *Trid. sess. XXIII. de ref. cap. 1.* (f) *Trid. loc. cit.*

liabuntur; & si ne tum quidem ecclesiae suae se reddant, rigore canonum in eos agetur (a).

CAPUT XLV.

De vetita beneficiorum multitudine.

Clerici vetabantur duabus ecclesiis adscribi.

§. I. UNum eodem tempore clericum duabus ecclesiis adscribi, vetus disciplina non patiebatur. Oportebat enim clericos juge exhibere ministerium in ecclesia, cui eos primum adfixerat ordinatio. Nec facile veteri stante disciplina clerici inter ministros duarum ecclesiarum censeri adfectabant: reditus enim in unam massam confluebant, ex qua sportulas pro necessitate praesentes tantum accipiebant (*b*). Saeculo quinto ob inanis gloriae cupiditatem, & fortasse etiam ob duplex, quod sperabant, lucrum, non defuerunt clerici, qui in duarum civitatum ecclesiis locum obtinuerunt, in ea nempe, in qua principio ordinati sunt, & in ea, in quam tamquam majorem confugiebant: quam perversam praxim patres Chalcedonenses damnarunt (*c*): *non liceat clerico in duarum civitatum ecclesiis eodem tempore in catalogum referri.* Ubi beneficia instituì coeperunt, regula de non usurpandis duabus ecclesiis generalius expressa est, offi-

(a) *Trid. sess. XXIV. de ref. cap.* 12. (b) *Conf. Thomass. par. II. lib.* 3. *cap.* 1. (c) *Conc. Chalced. can. X.*

ut clerici nec in eadem paroecia duabus ecclesiis adscriberentur, ne suo ministerio deessent & turpe lucrum captarent. *Clericus ab hoc deinceps tempore*, inquit synodus Nicaena II (*a*), *in duabus ecclesiis non collocetur, negotiationis enim est hoc & turpis lucri proprium, & ab ecclesiastica consuetudine penitus alienam*. Valebat hoc interdictum praesertim in civitatibus, nam in villis *propter hominum inopiam* iidem Nicaeni patres permittunt, duas ecclesias simul habere (*b*). *Propter hominum*, inquam, *inopiam*, nam si ecclesiae pauperes essent, clericos labore suo sibi ad victum necessaria oportebat comparare. Non minus inferiores clerici, quam episcopi vetabantur duas ecclesias usurpare (*c*), quod ordinis in ecclesia recepti & divisarum paroeciarum erat consectarium.

Pluralitas beneficiorum vetita.

§. II. Postquam beneficia ab ordinatione seorsim conferri coeperunt, etiam interdictum est, ne plura simul eidem beneficia darentur. Equidem beneficium datur propter officium, quod se quisque debet implere; atque ideo in eadem ecclesia, multo magis in diversis, vetatur quis plura habere beneficia. Nimirum uni, quantumlibet exercitato, clerico duarum rerum officia simul committenda non sunt: nam unum officium ecclesiasticum vix pro merito aliquis valet implere (*d*): & praeterea hierarchia in confu-

(a) *Conc. Nicaen. II. can. XV.* (b) *Cit can. XV. conc. Nicaen.* (c) *Ambros. de dignit.sacerd. cap. IV.* (d) *Cap. I. de consuetud. in 6.*

fionem abiret, fi uni plura officio demandarentur (*a*). Et plane non minus monftrofi videntur, qui multas perfonas in ecclefia fuftinent, quam Briareus ille, cui manus centum erant, ut eft in fabulis, aut Geryon, quem trium fuiffe corporum perhibent. Porro qui plura obtinent beneficia, ftipendia pluribus miniftris addicta ufurpant (*b*): nec ab amore divini fervitii, fed potius a turpi lucro derivatur beneficiorum coacervatio. Ubi quoque plura beneficia uni conferuntur, minuitur numerus miniftrorum, & cultui divino multum detrahitur (*c*). Hinc vetita beneficiorum coacervatio non tam ab jure pofitivo, quam ex ipfa beneficiorum natura profecta eft. Et recte S. Thomae obfervatum, multitudinem beneficiorum uni datorum non effe ex actionibus indifferentibus, intrinfecam malitiam & deformitatem involvere (*d*).

Qui & quando invaluit beneficiorum coacervatio.

§. III. Quamvis autem plurium beneficiorum in unum clericum coacervatio natura potius, quam facris canonibus interdicatur; tamen lapfa poft faeculum octavum in Occidente ecclefiaftica difciplina quotidiano veluti ufu invaluit. Suis nempe & quidem pinguioribus reditibus donatae erant ecclefiae & facra minifteria: quid ergo mirum, fi ubi clerici faeculi fpiritu agitabantur, paffim plura beneficia uni collata fint? Hinc

---

(a) *Can. I. D.* 89. (b) *Cap. III. ex. de cleric. non refident.* (c) *Extrav.* exfecrabilis *de praebend. in comm.* (d) *S. Thomas quodlib. IX. q.* 7. *art.* 11:

Huic abusioni caussam in primis dedit dogma illud melioribus saeculis inauditum, posse beneficiarios vicaria alterius opera suum officium etiam in diversis ecclesiis implere. Eo pariter multum contulit episcoporum facilitas, qui vel adfectu adversus sibi caros ducti, vel turpi quaestu abrepti canones beneficiorum coacervationem prohibentes passim relaxarunt; nec enim tum unius pontificis erat ad plura beneficia obtinenda veniam dare (*a*). Porro desueto in Occidente clericorum manuum labore patiebantur canones uni presbytero secundam paroeciam conferri, quo casu prima tenuior esset, nec eidem alendo sufficeret (*b*). Ita veluti ex canonum venia profani presbyteri in duas pluresve paroecias irrepebant; nam ubi spiritu saeculi agitabantur, vix ulla erat ecclesia, quae ad eos alendos satis haberet. His aliisque caussis saeculo XII. passim in monstra plurium capitum & membrorum beneficiarii abierant, dum in eadem aut diversis ecclesiis plura beneficia, etiam quae curam animorum haberent, & plures dignitates & personatus obtinebant, adeo ut teste Petro Blesensi plures essent, qui *vix ecclesiarum suarum numerum cognoverant* (*c*). Et in ecclesia Gallicana adeo invaluerat plurium beneficiorum in unum clericum coacervatio, ut Alexander III prae delinquentium multitudine eam emendari posse desperaret (*d*).

(a) *Alteserra in cap.* de multa *ex. de praeb.*
(b) *Cap. IV. ex. de aetat. & qualit. praeficien lor.*
(c) *Petrus Blesens. in lib. I. Job.* (d) *Cap. XV. ex. de praebend.*

Canones Lateranenses de vetita beneficiorum multitudine.

§. IV. Quo primum tempore a calamitate illa, quae in Occidente ferme omnem disciplinam saeculo decimo perdiderat, ecclesia coepit respirare, multos edidit canones, qui beneficiarios omnes ad singularitatem beneficiorum & adsiduitatem adstringerent. At late serpserat ulcus, & prae summa acerbitate totum simul curari non poterat. Itaque curae praesertim fuit, ut exitialiora mala primum curarentur, tantisper dilata minorum morborum medicina: Hinc synodus Lateranensis sub Alexandro III duas dignitates aut duas ecclesias paroeciales deinceps obtineri interdixit, & quidem ea addita poena, ut accipiens caderet secundo beneficio, dans vero largiendi potestate privaretur(a). Spectabat hoc decretum praesertim futuras collationes; & hinc idem pontifex beneficiariis, qui duas ecclesias seu dignitates antea obtinuissent, optionem dedit, ut quam vellent unam retinerent, alteram vero omnino dimitterent (b). Sic vetita beneficiorum pluralitas partim ecclesiae profuit sive clericornm delinquentium multitudine, sive quod beneficiarius non ipso jure cadebat secundo beneficio contra canones accepto. Ergo Innocentius III in concilio generali majori cura emendandae disciplinae operam dedit, statuitque, ut nullus duas simul paroecias aut

(a) *Cap. III. ex. de cleric. non residentib.* (b) *Cap. IV. ex. de aetat. & qualit., cap. XIV. ex. de praebend.*

aut dignitates aut personatus obtineat, ipsoque jure cadat primo beneficio, qui alterum consequatur, nisi sedes apostolica clericis genere & scientia illustribus veniam indulgeat (*a*). Praebendarum quoque eodem modo vetita est coacervatio; rescripsit enim idem Innocentius, ipso jure vacare primam praebendam, si quis alteram in eadem ecclesia obtineat (*b*),

Quae beneficia non vetantur coacervari,

§. V. Hisce decretis singularitas & adsiduitas dignitatum, paroeciarum, personatuum & praebendarum restituta est; silentio praetermissis reliquis minoribus beneficiis, non quod ecclesia probaret, simul reliqua beneficia coacervari, sed quod tempori tantisper cedendum erat, & graviora mala primum curare oportebat. Quid quod tum rara erant beneficia, quibus nec dignitas, nec cura animarum, nec canonica praebenda erat adnexa? tot enim conventuales prioratus; cellae & obedientiae necdum saecularibus beneficiis accensebantur (*c*), & praeterea nondum instituta erant tot beneficia sine cura animorum & adsiduitate, quod posteriore aetate factum est. Interim eo ecclesiae silentio & antistitum negligentia inde natum est dogma, cetera minora beneficia praeter dignitates, paroecias, personatus & canonicales praebendas ad adsiduitatem non obligare, & praeterea posse invicem vel cum illorum uno coacervari: quae doctrina aetate Gregorii IX usu probabatur (*d*). Ita na-

(a) *Cap. XXVIII. ex. eod.* (b) *Cap. IX. ex de concess. praebend.* (c) *Thomass. part. II. lib. 3. cap. 9. n. 2 & 10.* (d) *Cap. ult. ex. de cler. non resid.*

nata est partitio beneficiorum in *singularia* & *coacervata*, seu, ut habent vulgares loquendi formulae, in *incompatibilia* & *compatibilia*. Semel recepta doctrina deinceps ab ecclesia magis tolerata, quam probata est: etenim quamvis sequentes pontifices tantum aperte statuant, ne quis duo beneficia, quae curam animarum habent, aut adsiduitatem requirunt, consequatur; eas tamen rationes addunt, quae omnem beneficiorum multitudinem explodunt (*a*).

Partitio beneficiorum incompatibilium.

§. VI. Passim interpretes singularia seu *incompatibilia* beneficia partiuntur in singularia primi generis, seu ratione tituli, & secundi generis, seu singularia ratione retentionis. Singularia primi generis vacant ipso jure per alterius adeptionem, qualia sunt duo beneficia cum cura animarum, duae dignitates, duo personatus; item duo beneficia uniformia in eodem tecto, seu quae ad eamdem similemque functionem in eadem ecclesia instituta sunt, veluti duo canonicatus & duae ejusdem ecclesiae capellaniae. Singularia secundi generis non vacant ipso jure per alterius adeptionem, quamvis duo simul nequeant retineri, atque ita beneficiarius debet alterutrum optare, alioquin altero per superiorem exuetur: qualia sunt canonicatus in diversis ecclesiis & beneficia *difformia* in eadem ecclesia. Non equidem inficior, esse multa beneficia, ex quorum coacervatione maxima mala in ec-

(a) *Cap. I. de consuetud. in 6.*, *extravag.* exsecrabilis *de praeb. inter comm.*

ecclesiam irrumpant; at partitio ista nata videtur ex prudentum seu potius imprudentum interpretatione. Nimirum videbant isti jure decretalium ex beneficiis, quorum coacervatio vetabatur, alia vacare ipso jure per alterius consecutionem, in aliis vero unius optionem concedi (a). At optio spectabat beneficia, quae ante concilium Lateranense sub Alexandro III. jam erant coacervata.

Post Innocentium III passim coacervata beneficia.

§. VII. Quis vero crederet? etiam post synodum Lateranensem sub Innocentio III coacervatio dignitatum, paroeciarum & praebendarum passim obtinuit, idque sive negligentia sive fraude antistitum, quibus instaurata disciplina magis curae esse debuisset. Principio admodum frequentes fuerunt pontificiae indulgentiae, ut plurimum sine caussa concessae, ad habenda plura singularia beneficia, adeo ut exceptio canoni Lateranensi addita, ut liceret summo pontifici viris genere & scientia praecellentibus veniam dare, ipsam regulam perdiderit (b). Eo quoque inservierunt fictae *commedae*: nam quum sacris canonibus concederetur, ecclesias vacantes interim alicui beneficiario commendari, coeperunt commendae perpetuo & in gratiam clericorum concedi, ut unum beneficium titulo, alterum sub commendatione perpetuo retinerent (c). Rursus

---

(a) *Conf. Gonzalez in cap. XXVIII. ex. de praebend. n.9.* (b) *Espen. par. II. tit. 20. cap. 2. n. 13. seqq.* (c) *Conc. Salmuriense an. CIↃCCLIII. can. XXVIII.*

sus alii ficto *vicariae* titulo fraudem canonibus faciebant: nam ubi dignitate aliqua vel paroecia aucti erant, alteram sive dignitatem sive paroeciam cum opima fructuum parte sub vicariatu sibi dari curabant, non vero titulum, qui cum modico proventu alteri concedebatur. Unitae quoque sunt praebendis aut dignitatibus paroeciae, aut contra, non quod id ecclesiae salus postularet (semper enim receptum fuit, ecclesias uniri & distrahi ob earum salutem & commodum); sed quia gratificari oportebat clerico, ut quae distracta beneficia simul habere non poterat, ea invicem ad vitam adnexa retineret (*a*).

Decreta Tridentina contra beneficiorum pluralitatem.

§. VIII. Singularia beneficia etiam majora passim alia aliis congesta possidebantur, quo tempore synodus Tridentina indicta est. Hinc cordatiores episcopi coacervationes istas omnino aboleri exoptabant, & veterem restitui disciplinam, quae unum clericum duabus ecclesiis adscribi non patiebatur. Et reapse sacrosancta synodus medicas manus sanandis his malis adhibuit, transfixitque ita beneficiorum multitudinem, ut ferme de restituta disciplina possemus gloriari, modo ejus decreta sancte servarentur. In primis vetuit, plures deinceps obtineri ecclesias paroeciales aut alia singularia beneficia, renovato concilii Lateranensis sub Innocentio III decreto, & involucris illis *unionis ad vitam* & *commendae perpetuae* omnino rejectis (*b*). Inde sanctius decre-

(a) *Conf. Sarpus materie benefiziarie n. XXXIV*

(b) *Trid. sess. VII. de ref. cap.* 4.

cretum edidit, quo deinceps unum uni beneficium sive in titulum sive in commendam conferri statuit, nisi ad honestam sustentationem unum non sufficiat, quo casu secundum conferri permisit, modo utrumque adsiduitatem non requirat (a). Ergo etiam ipsa simplicia beneficia, quae alendo beneficiario sufficiant, singularia & *incompatibilia* evaserunt. Quod vero synodus alterum beneficium dari permittit, ubi primum alendo beneficiario non sufficit, servire voluit jam receptis in Occidente moribus, qui non habebant, ut clerici labore manuum sibi quaererent alimenta. Nihil vero statuerunt patres, quinam reditus sufficerent ad honestam cujusque beneficiarii sustentationem: nam id pendebat a locorum & temporis adjunctis, ac propterea potius cujusque conscientiae judicio, quam generali sententia finiendum videretur. Sed dubitandum non est, beneficiarii sustentationem debere esse frugalem & modestam, quae clericorum vocationi conveniat (b). Ceterum hac in re mali mores prae certa ecclesiae sententia praevaluerunt; jamque nulli intenditur controversia, quod duo possideat beneficia, quorum unum aut etiam ambo maximi reditus sint, modo utrumque adsiduitatem non requirat (c).

Ex venia obtinentur plura singularia beneficia.

§. IX. Ut vero plura singularia beneficia obtineantur, necessaria est superioris venia, qua-

 ca-

(a) *Trid. ses.XXIV. de ref. cap.17.* (b) *Conf. superius dicta cap. XL. §.8.seqq.* (c) *Conf.Espen. par.II. tit. 20. cap. 4.*

canones relaxentur. Moribus praesentibus superior iste tantum est summus pontifex, etsi in veteri disciplina etiam episcopi ad habenda plura beneficia canones relaxarent (*a*). Quicumque vero sit, qui indulgentiam concedit, id fieri debet ex necessaria & utili in ecclesiam caussa, qua incommoda, quae ex coacervatione beneficiorum oriuntur, compensentur; nec enim summus pontifex ministeriorum & proventuum ecclesiae dominus est, sed potius fidelis dispensator. Hinc recte docent interpretes, apud Deum tutos non esse, sed tantum fori externi poenas evitare, qui ex minus probabili caussa obtinent plura beneficia (*b*). Sane quamvis qui indulgentiam concedit, expendere debeat, utrum idonea subsit caussa; tamen qui petit minus justam indulgentiam, est caussa iniquitatis & utitur permissa iniquitate. Et acute S. Bernardus reponebat profanis hominibus, qui se tutos credebant, tantum quod summus pontifex veniam indulsisset, *utinam non licentiam quaesiissetis, sed consilium, idest; non ut liceret, sed an liceret* (*c*). Quoniam vero indulgentia ad habenda plura beneficia canonibus adversatur, hinc stricte accipienda est, nec a casu ad casum recte producitur; & tum recta erit, si omnia ex fide bona exponantur, adeo ut impetrans etiam tenue, quod obtinet, beneficium debeat non tacere (*d*) in-

---

(a) *Conf. Altesferra in cap. XXVIII. ex. de praebend.* (b) *Conf. Fagnan. in cap.* ex parte ex. *de cleric. non resident. n.* 65. (c) *S. Bernard. ep. VII. n.* 9. (d) *Cap. XXI. de praebend. in* 6.

Indultas hujusmodi venias tenentur beneficiarii petentibus episcopis exhibere, quibus integrum est eas expendere, & minus legitime impetratas reiicere (*a*).

Poenae contra pluralitatem beneficiorum.

§. X. Si plura singularia beneficia sine legitima indulgentia obtineantur, poenis canonicis locus est. Decreto concilii Lateranensis sub Alexandro III secunda dignitate seu paroecia exuendus erat, qui secundam obtinuisset (*b*): at canone Innocentii III in concilio generali cadit *ipso jure* prima paroecia seu dignitate seu personatu; qui alterum ejusdem generis consequitur beneficium (*c*). Vacatio autem ipso jure non collatione alterius singularis beneficii, sed potius pacifica possessione inducitur (*d*). Nimirum ante alterius beneficii singularis possessionem beneficiarius nullos fructus percipit, atque ita pleno jure secundum beneficium consecutus non videtur. Pacifica autem censetur possessio, si nulla lis in judicio super beneficio mota sit; nullaeque molestiae de facto eam turbaverint: aut si per beneficiarium steterit, quo minus in pace retineatur: quod ultimum statutum, est, ut vitentur fraudes eorum, qui secundi beneficii possessionem nacti fictum adversarium sibi parabant, ut interim fructibus utriusque beneficii fruerentur

(a) *Cap. III. de offic. ordin. in 6.*, *Trid. sess. VII. de ref. cap.* 5. (b) *Cap. III. ex. de cleric. non resid.* (c) *Cap. XXVIII. ex. de praebend.* (d) *Clement. ult. de praeb.*, *extravg.* exsecrabilis *de praeb. in comm.*

tur. Porro alterius beneficii pacificam possessionem adepto ad duos usque menses prioris retentio conceditur (*a*), ut possit beneficarius experiri an molestiae superveniant. Si post adeptam pacificam possessionem beneficiarius utrumque retinere praesumat, etiam alterum amittet, & ad sacros ordines suscipiendos & ad alia beneficia inhabilis evadit (*b*). Ceterum vacatio ista ipso jure ex interpretum sententia ferme locum habet in beneficiis, quae dicuntur *incompatibilia* ratione tituli, nam quae talia sunt retentione, demum sententia judicis vacare docent,

CAPUT XLVI.

De beneficiorum collatione.

Quid collatio beneficii ejusque species.

§. I. Collatio in re beneficiaria est datio vacantis beneficii ab eo facta, qui ejus dandi habet potestatem. Alias dicitur *donatio* beneficii (*c*), saepe etiam *institutio* (*d*): at praesenti loquendi usu, si vera observat Espenius (*e*), ipsa tituli collatio *institutio autorizabilis* audivit; contra quam sentiebant glossa & antiquiores interpretes, quibus *institutio autorizabilis* est ipsa curae animarum concessio, quae a tituli concess-

(a) *Rota ap. Merlin. decis. VI. n.* 10. (b) *Cit. cap. XXVIII. & cit. extravag.* (c) *Cap. VIII. ex. de constitut.*, *cap. VII. ex. de rescript.* (d) *Cap. I. de regul. jur. in* 6. (e) *Conf. Espen. par. II. tit.* 26. *cap.* 1.

cessione distinguitur. Quod si collatio collegio canonicorum competat, vocari solet *electio*, quae si nulla indiget superioris confirmatione, beneficium dicitur *electivum collativum*, si vero a superiore confirmanda est *electivum confirmativum*. Quoniam vero collatores non semper pro libertate sua beneficia donant; sed aliquando ratione juris alterius certis personis ab alio praesentatis conferre debent; hinc collatio est aut libera, aut minus libera, quarum illa *collatio* stricto sensu, haec *institutio* itidem sensu stricto appellatur. Porro collatio alia est ordinaria, quae jure proprio competit, alia ex reservatione, aut indulto. Ceterum voces *collationis* & *institutionis* hoc sensu acceptae recentioris usus sunt; nam olim ordinatio etiam beneficii dationem continebat. *Collatio beneficii est pars episcopalis jurisdictionis*.

§. II. Ex veteri disciplina beneficiorum collatio erat potior pars episcopalis potestatis, quae per ordinationem exercebatur, in qua clerici & ecclesiae ministeriis addicebantur & jus ad proventus accipiebant. Separatis inde ab ordinatione beneficiis, horum collatio veluti pars voluntariae jurisditionis haberi coepit: quod quidem verum est; at voluntaria ista jurisdictio non longe distat ab ordinis potestate: siquidem non minus in ordinatione, quam in beneficiorum collatione, ministri ecclesiae creantur & sacra ministeria committuntur. Et certe profanum est dogma illud glossae & antiquiorum interpretum, quo collationes beneficiorum veluti pars fructuum habentur (a); boni nimirum isti inter-

pre-

(a) *Conf. Espen. par. II. tit. 21. cap. 1. n. 26 seqq.*

pretes, quod in beneficiis erat secundarium, tanquam primarium habuerunt. Ceterum quod beneficiorum collatio pars jurisdictionis est, episcopi tantum confirmati post captam possessionem ea conferre possunt: quin etiam conferunt extra paroeciam suam positi (*a*); nam voluntaria jurisdictio etiam extra territorium recte exercetur (*b*).

Et origine sua pertinet ad episcopos.

§. III. Quoniam vero collatio beneficiorum etiam ab ordinatione separata pars est spiritualis potestatis, qua ecclesiae administrantur & reguntur, dubio procul origine sua ad episcopos pertinet (*c*). Nimirum quidquid beneficii est ex duobus coalescit, ministerio ecclesiastico & jure ad reditus adnexos percipiendos: episcopi autem pro jure suo committunt ecclesiastica ministeria: & praeterea ex antiquissima ecclesiae disciplina habent redituum ecclesiasticorum procurationem. Hinc communi sententia receptum est, episcopali potestati veluti congenitam esse beneficiorum collationem, titulumque esse probandum, ut episcopus inde excludi possit. Eodem ordinario jure in suis ecclesiis conferunt beneficia praelati inferiores, qui quasi episcopalem habent jurisdictionem (*d*). Ceterum episcopi auctoritate senatus ecclesiastici, seu collegii canonicorum aut

---

(a) *Glossa in cap. VII ex. de off. leg.* (b) *L. II. D. de off. proconsul.* (c) *Conc. Melphit. an. CIↃLXXXIX. can. I., conc. Lateranens. I. sub Callisto II. can. IV. & VII.* (d) *Cap. ult. ex. de institut., cap. III. de off. ordin. in 6.*

matris ecclesiae, beneficia conferebant (a): qua in re elucent antiqui mores, qui clericos ordinari non permittebant, nisi a clero & populo electi seu postulati. Praesertim vero id jus locum habere debet in creandis ecclesiae cathedralis canonicis, qui una cum episcopo unum quasi corpus constituunt: aequumque est, ut ad membra creanda integrum corpus concurrat, quod Zypaeus recte observat (b).

Varia instituta de collatoribus beneficiorum.

§. IV. Sancta haec ex communi senatus ecclesiastici consilio beneficia conferendi ratio pro maxima parte labefactata est; ubi beneficia seorsim ab ordinatione conferri coeperunt; jamque inter clericos alii emerserunt ordinarii collatores, variique in diversis ecclesiis invaluerunt mores & instituta. Sane in multis locis praebendas & canonias ecclesiae cathedralis solus episcopus, alibi solum canonicorum collegium (c), alibi episcopus simul & collegium conferunt: concurritque episcopus in hoc negotio cum canonicis vel ut merus canonicus (d), vel tamquam collegii moderator & praeses, vel aequali potestate, quo casu episcopi suffragium totius collegii suffragio aequivalet. Praebendas quoque ecclesiarum collegiatarum vel solus episcopus vel capituli praeses pro varietate locorum confert. Et dignitates in ecclesiis sive matribus sive collegia-

(a) *Cap. IV. ex. de his quae fiunt a praelato sine consf. capit.* (b) *Zypaeus in jur. novo tit. de praebend.* (c) *Cap.* XXXI. *ex. de elect.* (d) *Cap. XV. ex. de concess. praeb.*

gialibus ad ecclesiam potius, quam canonicos spectantes a solo episcopo conferuntur: contra quae capituli regimen & disciplinam concernunt, ad capituli electionem spectant (a). Ita poenitentiarii dignitas seu officium a solo episcopo; at praebenda theologalis ab episcopo ex capituli consilio confertur (b); nova vero Benedicti XIII decretali utraque haec praebenda praevio concursu coram episcopo & quatuor examinatoribus etiam non synodalibus danda est (c). Varii hujusmodi mores dissociata canonicos inter & episcopos communi vita & reditibus inter eos divisis invaluerunt & instituti sunt, idque varia ratione, diligentia nempe aut oscitantia episcoporum & canonicorum, vel episcoporum concessionibus, vel transactionibus, vel fundatione, vel novis constitutionibus: receptique semel mores & instituta servanda sunt.

Monachi & canonici quasnam paroecias conferant.

§. V. Porro monachi & capitula canonicorum conferunt paroecias, quae eis *pleno jure*, hoc est in spiritualibus & temporalibus, addictae sunt (d). Cesserunt autem monachis & canonicorum collegiis paroeciae pleno jure sive episcoporum aut pontificum ad promovendam monasticam aut canonicam vitam auctoritate, sive largitionibus laicorum, qui mediis saeculis complures ecclesias jure feudi possidebant (e).

Tran-

(a) *Conf. Espen. par. II. tit.* 21. *cap.* 1. *n.* 20. (b) *Conf. Cabassut. theor. & prax. lib. II. cap.* 24. (c) *Bened. XIII. bul* pastoralis. (d) *Confi Thomass. par. II. lib.* 1. *cap.* 55. (e) *Conf. superius dicta cap. XXXIX.* §. 12.

Translatis autem ad monachos & canonicos paroeciis pleno jure, earum ordinatio & cura ipsis etiam concessa videtur, ac ita jus eas conferendi quaesitum. At bene monet Molinaeus, non posse manachos paroeciarum collatores dare ipsam curam animarum, nisi habeant populum exemtum & in eo episcopalem jurisdictionem (*a*). Hinc ubi jurisdictio est penes episcopum, si jus monachis est paroecias conferendi, cura animarum ab episcopo petenda & danda est. Et generaliter monent canonistae, quo casu inferiores episcopo collatores dant beneficia, plerumque salvam esse episcopi aliusve praelati potestatem, quamissionem seu curam animarum concedunt (*b*).

An archidiaconus & vicarius generalis beneficia conferant?

§. VI. Ipsi pariter archidiaconi, postquam seorsim ab ordinatione beneficia conferri coeperunt, sibi quaesiverunt eorum dandorum potestatem. Ab origine sua archidiaconi magnae fuerunt auctoritatis, mediis vero saeculis erant veluti perpetui vicarii in depromenda ferme omni episcopali potestate. Ita archidiaconi saeculo XII jure proprio beneficia conferebant (*c*): quo jure in aliquibus locis etiam archipresbyteri utebantur (*d*). Inde decrevit potestas ista archidiaconi ordinaria, & episcopi ad depromendam jurisdictionem suam officiales mobiles, quos di-

Inst.jur.can.T. V. Z cunt

(a) *Molinaeus ad cap.III.§.2.de privil.* (b) *Espen. par. II. tit.* 21. *cap.* 1. *n.* 22. *seqq.* (c) *Cap. XV. ex. de off. deleg.*, *cap. VII. ex. de praeb.* (d) *Cit. cap. XV.*

cunt *vicarios generales*, crearunt: qui etsi judices ordinarii censeantur, non tamen eorum potestate collatio libera beneficiorum continetur (a): tantumque a patronis praesentatos pro jure suo possunt instituere.

Quae beneficia sede vacante capitulum non confert.

§. VII. Item nec collegium canonicorum ecclesiae cathedralis vacante sede, etsi episcopalem habeat jurisdictionem, & interim ecclesiam gubernat, confert beneficia, quae ad liberam solius episcopi collationem pertinent (b). Hujus juris vulgares interpretes hanc reddunt rationem quod collatio beneficiorum pars fructuum censeatur; fructus vero integros episcopo oportet reservare. Verum non pars fructuum est beneficiorum datio, sed potius pars spiritualis potestatis, qua ecclesiae ministri constituuntur. Hinc magis est, denegatam fuisse capitulo collationem beneficiorum, quae libere ab episcopo dantur, quod beneficiarii diligenti episcopi & ecclesiae judicio eligendi sunt; & collatio moram ferre potest; interregni enim ea conditio est, ut qui interim gubernant, ea differant, quae sine damno differri possunt. Sed capitulum vacante sede recte confert beneficia, quae conjunctim ad episcopum & capitulum pertinebant, quod per sedis vacationem episcopi jus capitulo adcrescit; & multo magis confert beneficia, quorum collatio ad solum capitulum vivente episcopo compe-

(a) *Cap. ult. de off. vicarii in 6.* (b) *Cap. VII. ex. de rescript., cap. II. ex. ne sede vacante aliquid innovetur.*

petebat (a): quemadmodum etiam pro jure suo praesentatos a patronis instituit (b). Immo in Gallia vacante sede etiam capitulum confert beneficia, quae curam animarum habent adnexam.

Qui fiat beneficiorum collatio.

§. VIII. Postquam beneficia ab ordinatione sejuncta sunt, fieri coepit eorum collatio actione peculiari, qua collator voluntatem suam declarat, se huic aut illi beneficium tribuere, idque etiam nudis verbis fieri potest. Et quoniam voluntas collegii canonicorum ex majori suffragiorum numero censetur; hinc beneficia *electiva collativa* per electionem communibus electionis regulis adstrictam conferuntur; forma enim ab Innocentio III in concilio generali praescripta (c) tantum locum habet in eligendis praelatis, quorum morte ecclesia vidua intelligitur. Quod si episcopus cum capitulo in conferendis beneficiis concurrat vel ut canonicus, vel ut capituli moderator, electioni etiam debet interesse; non vero si ejus suffragium totius capituli suffragio aequivalet; nam in hac specie seorsim capitulum & episcopus suffragium suum praestare possunt (d). Interim quod aequale episcopi & collegii jus saepe sibi mutuo obstabant; hujus juris exercitium in multis ecclesiis sive per menses sive alternatim divisum est, soletque episcopus vel collegium tempore suo totum jus etiam con-

---

(a) *Conf. Cabassut. theor. & prax. jur. can. lib. II. cap. 24. n. 26.* (b) *Cap. I. de instit. in 6.* (c) *Cap. XLII. ex. de elect.* (d) *Card. de Luca tom. I. in summa beneficior. §. 2. n. 10.*

fortis explicare. Quin multarum ecclesiarum moribus aut statutis, ubi beneficia ad capituli collationem pertinent, electio non celebratur, sed singuli canonici prout eos ordo tangit, unum a se electum capitulo sistunt, cui tamquam per totum capitulum electo beneficium conferatur (a). Ceterum receptis moribus collationes fieri aut saltem probari nequeunt sine litteris; nec beneficiarii solent in possessionem beneficiorum immitti, nisi litteras collationis exhibeant. Non vero eadem ratione ordinarii collatores & summus pontifex litteras collationis expediunt, qua de re doctores plura dabunt (b).

Symbola quaedam olim adhibita in beneficiis conferendis.

§. IX. Verum enimvero collatio beneficiorum mediis saeculis etiam externis symbolis peragebatur, quibus luculentius de voluntate collatoris & de jure in beneficium jam translato constaret. Nimirum ad firmiorem & certiorem commerciorum explicationem usu gentium invaluit, ut juris sui & dominii translationes certis symbolis fierent, maxime ubi scripturae usus non admodum erat excultus, & res in commercium deducta non statim tradi poterat. Symbolis istis declarabatur, non in nuda promissione negotium subsistere, sed jam esse perfectum & jus seu dominium fuisse translatum. Romani negotia ferme omnia certis ritibus & sollemnibus expedie-

---

(a) *Cap. ult. de praeb. in 6.* (b) *Conf. Espen. par. II. tit. 21. cap. 2., & tit. 24. cap. 1. seqq.*

diebant, quod Gravina pluribus enarrat (*a*). Et apud Francos, Alemannos, aliasque septemtrionales gentes symbolica commerciorum explicatio maxime frequentata est, dicebaturque juris sui signis externis peracta translatio *investitura*, quae in feudis magni usus fuit, eamque interpretes juris feudalis *abusivam* dixerunt, ut a corporali investitura seu ipsius feudi possessione distinguerent. Varia erant symbola ista, quibus fiebant investiturae, eaque Cangius & Alteserra pluribus illustrant (*b*); ut plurimum vero seligebantur ea, quae negotii naturae responderent. Similiter in ecclesia beneficia postquam ab ordinatione separata sunt, conferri coeperunt per certa symbola, quae speciem feudalis investiturae exprimerent, praesertim quando ecclesiastica beneficia instar feudorum exhiberent. Symbola vero in collatione beneficiorum usurpata erant annulus & baculus, osculum panis & liber, aut liber tantum, sigillum & birretti impositio. Hinc in mediae aetatis monumentis etiam in pontificum decretalibus collatio beneficiorum saepe audit investitura (*c*). Sed lapsu temporis in Occidente in dies invalescente usu scripturae, sensim usurpari desierunt symbola in conferendis beneficiis, eorumque loco collationis litterae successerunt.

in

(a) *Gravina de jur. nat. & gen. cap. LXXIX.*
(b) *Cangius in glos. v.* investitura, *Alteserra de feudis cap. VII.* (c) *Can. I. C.* 16. *q.* 2., *Ivo Carnotensis ep LX. & CLXXXII. cap. IV. & IX. ex. de concess. praebendae.*

Tempus collationi beneficiorum statutum.

§. X. Quoniam vero ex diutina ecclesiarum & beneficiorum vacatione incommoda multa in rem ecclesiasticam promanant, hinc iis dandis certa tempora statuta sunt, nec ulterius collationem differre licet. Sane dignitates capitulorum, paroeciae & omnia minora beneficia sex mensium spatio conferenda sunt (*a*). tribus vero mensibus episcopatus & majores dignitates regulares (*b*). Semestre autem istud non a die vacationis, sed a die scientiae computatur; & praeterea non currit, si justo impedimento sive juris sive facti, quominus conferat, collator impediatur (*c*). Nimirum ad coërcendam collatorum negligentiam finita sunt tempora ad beneficia conferenda: & qui nesciunt beneficium vacare, vel ei consulere impediuntur, sunt extra culpam.

Devolutio collationis ad superiorem.

§. XI. Tempore ad conferendum statuto si ordinarii collatores beneficium non conferant, pro ea vice collatione cadunt; & si collatio pertineat ad capitulum, devolvitur ad episcopum, contra ad capitulum, ubi solius episcopi est conferre: & si utriusque demum par negligentia sit, devolutio fit ad metropolitanum, & ita porro ad alios superiores antistites usque ad summum pontificem (*d*). Quod si episcopus ut praelatus ad collationem cum capitulo concurrat, ea devolvi-

(a) *Cap. II. ex. de concess. praebend.* (b) *Cap. XLI. ex. de elect.* (c) *Cap. V. ex. de conces. praeb.* (d) *Cap. II. ex. de concess. praeb.*

vitur ad metropolitam, si stato tempore non fiat: si vero ut canonicus, devolvitur ad ipsum episcopum (*a*). Beneficia quoque regularia stato tempore non collata devolvuntur ad episcopum, qui sedis apostolicae auctoritate confert, si praelati regulares exemti sunt (*b*). Verum recepti mores non ferunt, ut episcopi negligentia per capitulum suppleatur; immo multarum ecclesiarum & praesertim hujus regni praxi solus summus pontifex confert beneficia, quae episcopi & alii praelati stato tempore non contulerint.

Beneficia antequam vacant nec promittenda, nec conferenda.

§. XII. Jam vero beneficia dantur in perpetuum, & semel collata, antequam vacent, iterum conferri aut promitti non possunt, quod synodus Lateranensis sub Alexandro III statuit (*c*). Sane collationes aut promissiones beneficiorum nondum vacantium alienae mortis desiderandae ansam praebent, quo nihil a viri boni officio alienius. Qua ratione jure civili pacta futurae successionis tamquam improba & bonis moribus adversa explosa sunt (*d*); & in ecclesia coadiutores cum spe successionis, ubi caritas inter altaris ministros deferbuit, minus placuerunt (*e*). Itaque collatio aut promissio nondum vacantis be-

(a) *Cap. XV. ex. eod.* (b) *Clement. un. de suppl. neglígent. praelat.* (c) *Cit. cap. II.* (d) *L. XLI. D. de verbor. oblig.*, *l. ult. C. de pactis*. (e) *Conf. Thomas. par. II. lib. 2. cap. 55. & seqq.*

beneficii nulla prorsus est, nec inde ulla nascitur obligatio. Interim jure decretalium admittitur datio canonicatus sine praebenda, cum spe primo vacaturae (*a*); ut & promissio beneficii generaliter facta, quum primum occasio collationis se obtulerit (*b*): fortasse quod sine alterius morte vacare praebenda aut beneficim poterat, aut de novo institui, ac proinde captatio mortis cessare videbatur. Interdictum autem de non promittendis nondum vacantibus beneficiis tantum inferiores ligabat collatores non Romanum pontificem, qui pro jure suo promissiones futurorum beneficiorum, quas *exspectativas* dicebant, faciebat. Sed decreto synodi Tridentinae penitus abolitae sunt exspectativae (*c*): tantumque ex praesenti disciplina, ubi viget immemorabilis consuetudo, canonicatus sub spe futurae praebendae conferri possunt (*d*).

Beneficia integre conferenda.

§. XIII. Beneficia quoque integre conferri debent, nec dignitatum aut praebendarum licet sectionem instituere. Officium sane ecclesiasticum, cui perpetuo reditus adnexi sunt, unum est, ac proinde uni integrum cum suis proventibus conferendum. Qua ratione non obstante post instituta beneficia, ea dividi coeperunt duplici ratione; nam vel ipsum spirituale jus ex

---

(a) *Cap. IX. ex. de praebend.* (b) *Cap. XIX. ex. de concess. praeb.* (c) *Trid. sess. XXIV. de ref cap.* 19. (d) *Laurentius in foro benef. par. II. quaest.* 3. *n.* 3.

aequo duobus clericis collatum est (*a*), vel integro remanente titulo, redituum portio a beneficiario subtracta est, & alteri non in ecclesiae utilitatem tributa. Nimirum saepe patroni ex pacto cum beneficiariis redituum partem sibi reservabant, & ipsi antistites beneficia conferentes bonam partem fructuum sibi attribuebant (*b*). Alterutra ratione divisis beneficiis, in rem ecclesiasticam multa invehebantur incommoda; nam duobus uno beneficio collato, nascebatur confusio; & si dimidiatis fructibus dabantur beneficia, nec satis erat clericis ad vitam, nec digni poterant promoveri, nec pauperes ali. Ergo synodus Turonensis sub Alexandro III divisionem praebendarum & dignitatum fieri prohiuit, ut ecclesiae unitas & in magnis & in minimis membris integra persisteret (*c*): quo canone etsi praecipue prohibitae videantur ipsius spiritualis juris partitiones; tamen saltem sententia etiam vetitae sunt proventuum ad beneficia pertinentium deminutiones. Synodus quoque Lateranensis sub eodem pontifice vetuit, ne episcopi aliique praelati partem redituum ecclesiarum sibi attribuant (*d*). Et veluti turpia & simoniaca damnata sunt pacta, quibus patroni & antistites in partem redituum cum beneficiariis paciscebantur (*e*). Ceterum

(a) *Conf. Thomass. par. III. lib. 2. cap. 31. n. 3.*
(b) *Conf. Boëhmer jur. eccles. lib. III. tit. 12.*
(c) *Cap. VIII. ex. de praeben.* (d) *Cap. VII. ex. de censib.* (e) *Cap. un. ex. ut ecclesiast. beneficia sine diminut.*

auctis ecclesiarum reditibus ex rationabili caus-sa potest vacans beneficium in duo dispesci (a), quemadmodum ex idonea caussa licet portionem fructuum ex beneficio delibare & alteri clerico addicere.

Possessio beneficii danda beneficiario, ejusque effectus.

§. XIV. Peracta impletaque collatione beneficiarius in beneficii possessionem deducendus est, quam dicunt *institutionem corporalem*, sine qua nec fructus percipere, nec demandatum officium potest explicare. Recepta est in beneficiis corporalis institutio exemplo feudorum, in quibus dominus post symbolicam investituram in feudi possessionem sive per se sive vicaria alterius opera beneficiarium deducit (*b*). Ante possessionem beneficiarii & praesertim parochi obedientiam suo episcopo promittere & jurare debent, & qui praebendis & dignitatibus in ecclesiis cathedralibus donantur, & coram episcopo & in collegio catholicam fidem profitentur (*c*): verum non sinunt canones, ut beneficiarius praestet sacramentum fidelitatis ei simile, quod feudatarii exhibent dominis suis (*d*). Spectat autem in beneficiis missionem ad antistitem collatorem (*e*), & in decretalibus etiam archidiacono tribuitur (*f*), qui initio ex episcopi delegatione, tum, frequen-

---

(a) *Cap. XXVI. ex. de praeb. Conf. Gonzalez in cap. VIII. eod. n. 5.* (b) *Conf. Gudelin. de jure feudor. par. II. cap. 9.* (c) *Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 12.* (d) *Cap fin. ex. de reg. jur.* (e) *Cap. IX. ex. de privileg.* (f) *Cap. VII. ex. de off. arch.*

quentibus delegationibus jure ordinario id peregit. Receptis nunc moribus canonici coram collegio in possessionem immittuntur; reliquis vero beneficiariis possessio datur ab iis, quibus id jus collatores in collationis litteris demandant. Adripitur autem possessio per ingressum in ecclesiam, ubi est titulus beneficii, occupando sedem in choro, aut per alia usu recepta signa. Statim a capta possessione beneficii fructus clericus percipit, & ubi anno possederit, si iis ab alio, qui idem beneficium tamquam vacans impetravit, ei intendatur, possidere pergit, quousque lis finiatur; post triennium vero continuum in pace elapsum omnino securus est, veluti per usum ipso beneficii titulo quaesito, nec rite beneficium illud tamquam vacans ab alio impetratur: qui effectus tum locum habent, si possessio saltem apparenti titulo sustineatur, hoc est si titulus sit sine patenti vitio, & ab eo datus, cui jus est beneficia conferendi (*a*).

CAPUT XLVII.

De mandatis apostolicis reservationibus & praeventionibus.

In quibus ecclesiis jus erat pontifici clericos creare.

§.I. VEteri ecclesiae disciplina summus pontifex in ecclesiis Romanae metropoli subjectis pro jure suo videtur clericos ordinare

A a 2 po-

(a) *Conf. Espen. par. II. tit. 26. cap. 3. & 4.*

potuisse. Jura enim pontificis metropolitica seu patriarchialia constituta erant ad exemplum episcopi Alexandrini (*a*), qui per universam Aegyptum, quae sex constabat provinciis, etiam presbyteros & diaconos creabat; non quidem solus, quasi episcopi in suis ecclesiis presbyteros & diaconos non ordinarent, sed quod ille tanta potestate etiam uteretur, ut recte Valesius observat (*b*). Eodem jure etiam ceteri primates videntur fuisse donati; saltem primas Carthaginiensis ex omnibus sibi subjectis ecclesiis poterat clericos abstrahere, & aliis plebibus in episcopos aut presbyteros dare, si clerici isti a plebibus postularentur (*c*). Primis autem quinque saeculis parce admodum hoc jure Romani pontifices usi sunt, contenti tantum in sua peculiari ecclesia clericos constituere. Sed postquam barbarorum frequentioribus incursionibus plures episcopi & clerici ecclesiis suis ejecti sunt, Romani pontifices, in primis Gregorius M. vacantes hos clericos alienis ecclesiis praefecit, aut aliis episcopis commendare consuevit, praesertim si inter Romanos clericos ad eos excipiendos locus non esset (*d*). Hac quoque aetate, quod saepe episcopis deessent idonei clerici, quibus ecclesiae committerentur, Gregorius vigil excubabat, & si quos alicubi inveniret egregiis dotibus ornatos, eos alienis ecclesiis praeficiebat, aut suae ecclesiae clericos a plebibus postulatos in pastores

(a) *Conc. Nicaen. can. VI.* (b) *Vales. in Socrat. lib. III. cap.* 5. (c) *Can. LV. C. Afric.* (d) *Greg. M. lib. I. ep.* 32. *& lib. II. ep.* 10.

res concedebat. Qua potestate intra fines Romanae metropolis, quae provinciis suburbicariis includebatur, pontifices usi sunt (a).

Quid mandata de providendo.

§. II. Sed quod parce admodum in ecclesiis Romanae metropoli subjectis pro jure suo pontifices facere consueverant, id labentibus annis effusius & ferme sine ullo limite per universum Occidentem extensum est, ubi paene omnia beneficia sui arbitrii aut collationis fecerunt, exclusis ipsis episcopis, quibus congenita est beneficiorum collatio. Quae tanta moles sensim excrevit per pontificum *mandata*, *reservationes* & *praeventiones*. Et *mandata* quidem *de providendo*, ut vocantur, erant pontificum diplomata, quibus praecipiebant collatoribus, ut designatis clericis aliquod elargirentur beneficium: erantque mandata ista duplicis generis, alia enim dabantur pro jam vacantibus beneficiis, alia vero ad primo vacatura, quae etiam *gratiae exspectativae* audiebant.

Magno numero scripta mandata de providendo.

§. III. Mandatis de providendo extra ecclesias Romanae metropolis saeculo XII pontifices uti coeperunt, videturque primus Hadrianus IV suis mandatis in beneficia aliarum ecclesiarum manum injecisse (*b*): qui usus semel inductus a successoribus continuatus est & latius productus. Sed non omnes pontifices eadem ratione mandatis usi sunt; etenim aliqui, quod probe in-

(a) *Confer, Thomassin. par. II. lib. I. cap.* 41. *n.* 12. (b) *Conf. Thomass. par. II. lib.* 1. *cap.* 43.

intelligerent, jura collatorum non esse turbanda, parce admodum mandata scripserunt. Certe Honorius III toto sui pontificatus tempore non amplius uno mandato eamdem ecclesiam gravare consuevit, ac propterea tum temporis clausa ista diplomatis inseri consuevit, *nisi de mandato nostro eadem ecclesia foret de alterius receptione gravata* (a). Ubi vero crevit numerus clericorum sine beneficio ordinatorum, qui omnes ad mandata extorquenda Romam confluebant, pontifices nullum tenuere modum: mandatis scilicet bene multis onerarunt ordinarios antistites; saepe etiam pro eodem beneficio diversas contrariasque litteras scripserunt, & quod pejus, clericos exteros vernaculae linguae imperitos diplomatis auxerunt suis. Et quasi satis diplomatum ab aula Romana non prodiret, legati pontificii etiam consimilia mandata addiderunt. Nec dabantur diplomata tantum pro minoribus beneficiis, verum etiam pro majoribus & habentibus curam animarum. Et qui mandata obtinuissent, etiam iis contineri beneficia juris patronatus laici contendebant.

Pro quibus clericis dabantur mandata.

§. IV. Passim autem pontifices profitebantur, se mandatis suis consulere velle clericis litteratis & bonae opinionis, praesertim aliud beneficium aut unde viverent, non habentibus (b). Quo fundamento Lucius III rescripsit, non tene-

---

Cap. XXX. ex. de rescript. in parte decisa, & cap. XXXVIII. ex. eod. (b) *Alexander III. ep. XLIII.*

neri ordinarium collatorem conferre beneficium clerico litteris pontificis instructo, qui aliud, cujus in mandato nulla mentio fiat, beneficium haberet (a). Et ita hujusmodi mandata dicebantur *in forma pauperum*, quod pro clericis pauperibus scribi solerent; *in forma communi*, quod tenderent ad juris communis exsecutionem; & *cum secundum apostolum*, quod secundum formulam ab Innocentio III praescriptam in rescripto, cujus ea erant initialia verba, expedirentur (b). Postquam ob sejuncta ab ordinatione beneficia frequentes fuerunt sine titulo ordinationes, magno numero clerici pauperes Romam convolarunt. Et quoniam tum per universum Occidentem productus erat Romanus patriarcatus, receptae potestati convenienter videntur fecisse summi pontifices, dum vacantes pauperesque clericos ordinariis totius Occidentis antistitibus commendabant, modo commendati clerici vernaculae linguae non essent ignari. Quamquam haud scio, an consultius fuisset adigere episcopos ad alendos clericos, quos ipsi sine beneficio ordinaverant, quam sexcentis diplomatis ordinem hierarchicum turbare. Ceterum satis compertum est, saepe mandata in forma pauperum scripta fuisse pro clericis, qui nec pauperes, nec litterati essent: qua in re verba data sunt pontificibus, vel importunae preces eorum constantiam expugnarunt.

Tres

(a) *Cap. VI. ex. de praeb.* (b) *Cap. XVI. ex. eod.*

Tres litterarum species in mandatis distinguendae.

§. V. Initio ista pontificum mandata commendationes potius fuerunt & preces, quibus pro reverentia sedis apostolicae multum episcopi & reliqui ordinarii collatores tribuerunt, praesertim quando erant rariora, aut clerici sine beneficio propriis episcopis, aut alias scientia & meritis praecellentes commendabantur. At ubi mandata evaserunt frequentiora, & pro omnibus indiscriminatim clericis data sunt, ordinarii antistites saepe fuerunt renitentes, nec sibi missa diplomata implere curarunt. Hinc pontifices stilo mutato preces verterunt in praecepta. Ac sane in hoc negotio triplicis generis epistolas distinguere oportet, *monitorias* nempe, *praeceptorias* & *exsecutorias* (a). Monitoriae tantum clericos ordinariis collatoribus commendabant: qui si non parebant, dabantur praeceptoriae, quibus monita transibant in jussiones. Et si collatores in pari contumacia persisterent, exsecutor dabatur, qui morosos antistites puniret, & ad beneficii dationem cogeret, vel ipse tum vacans, vel primo vacaturum conferret. Procedente vero tempore convaluit auctoritas mandatorum, nec amplius tres litterae diversis temporibus scriptae sunt, sed tantum una statim addito exsecutore, qui cessan-

(a) *Conf. Franc. Flores in tit. decretal. de rescriptis.*

fante ordinario collatore conferret, exemplo praetoris, qui pro conditione cauffae vel perfonae vel temporis adverfus contumaces ordinem & compendium edictorum ita moderabatur, ut ftatim peremtorium daret. Ufi funt pontifices ad cogendos collatores praeceptis & exfecutoribus, quod e dignitate fedis apoftolicae effe videbatur, mandata non contemni; faepe etiam id fecerunt importunis precibus. aut virorum bonorum fuggeftionibus fatigati.

Quae eft beneficiorum refervatio.

§. VI. Satis firmato mandatorum ufu Romani pontifices ad beneficiorum refervationes tranfierunt, quae funt decreta, quibus pontifices collationi fuae vacantia vel vacatura beneficia addicunt, ordinariis collatoribus eorum conferendorum ablata poteftate: idque vel univerfe vel figillatim, prout plura ejufdem vel diverfi generis vel perfonarum beneficia, vel unum vacans aut vacaturum fummus pontifex in fe recipit & refervat. Ita refervationes longe diftant a mandatis, in quibus non pontifices mandantes, fed potius ordinarii antiftites ut plurimum conferebant. Beneficia refervata alias dicuntur *adfecta*, at *adfecta* ftricte fic dicta funt beneficia, non refervata, quibus conferendis fe immifcuit fummus pontifex, aut alias manum adpofuit, qui actus collationem pro ea vice pontifici addicit. Admodum implicata eft tractatio ifta de refervationibus, adeo multis regulis, exceptionibus, reftrictionibus interpretationibus, indultis abundat: verum nos potiora capita tantum proponemus, unde potius origo & genius praefentis difciplinae, quam exacta praxis Romanae curiae cognofcatur.

Reservatio beneficiorum in curia vacantium.

§. VII. Generalis, quae primum occurrit, reservatio Clementi IV tribuitur, qui pontificiae collationi addixit quaecumque beneficia *apud sedem apostolicam* seu *Romanam curiam* vacarent (*Cap. II. de praeb. in 6.*). Quo decreto pontifex professus est, se *antiquam consuetudinem* confirmasse: at si quae tum fuerit consuetudo, ea praeventio erat, qua vel . jure occupationis in comitatu vacantia beneficia pontifices dabant, antequam ea de re quidquam ordinariis antistitibus innotuisset. Vacare apud sedem apostolicam initio dicebantur beneficia, si in loco, ubi curia morabatur, beneficiarii decederent: at Bonifacius VIII vacationem in curia latius produxit, eaque contineri edixit beneficia omnia, quae morte accedentium aut discedentium a Romana curia in locis finitimis, hoc est quae duorum dierum legalium itinere, seu quadraginta milliaribus, a curia distabant, vacarent; item beneficia curialium, qui vel in locis curiae vicinis morerentur, modo ibi domum propriam non haberent; vel in itinere, dum curia transfertur, vel in loco, unde curia discedit, infirmi remanentes mortem occumberent (*a*). Ne vero diutina vacatio ecclesiis obsit, ubi pontifex unius mensis spatio in comitatu vacantia beneficia non contulerit, ea ordinarii antistites pro jure suo conferunt (*b*): ob quam eamdem rationem etiam ordinariis antisti-

(a) *Cap. XXXIV. de praeb. in 6.* (b) *Cap. III. eod.*

ftitibus fas eft conferre paroecias, quae defuncto pontifice in comitatu vacaverint, vel eo vivo vacaverint, fed ante obitum ab eodem collatae non fint (a).

Refervationes Joannis XXII & Benedicti XII.

§. VIII. Refervatio beneficiorum in comitatu vacantium eo colore facile admiffa eft, quod ftatim pontifices ecclefiis vacantibus confulerent. At ubi ad generales refervationes aditus patefactus eft, novae in dies refervationes emerferunt, antiquae confirmatae & latius extenfae funt. Clemens V. innovata refervatione vacantium apud fedem apoftolicam (b), collationi pontificiae perpetuo addixit epifcopatus in partibus infidelium clero populoque carentes (c). Modum paullo poft Joannes XXII exceffit, qui praeter beneficia per obitum in comitatu vacantia, eadem refervatione contineri declaravit omnes ecclefias cathedrales, monafteria & regulares ecclefias & reliqua omnia beneficia, quae eo loci depofitione, privatione, ceffione beneficiarii, electione refciffa, aut poftulatione rejecta, translatione, collatione, confecratione & benedictione vacarent: item beneficia cardinalium, legatorum, officiariorum curiae, capellanorum commenfalium pontificis, quocumque demum loco mortem obirent (d); & praeterea beneficia, quae ob retentionem aut adeptionem alterius fingularis beneficii ipfo jure va-

(a) *Cap. IV. eod.* (b) *Extrav. III. de praeb. in comm.* (c) *Clement.* in plerifque *de elect.* (d) *Extrav.* ex debito *IV. de elect. in com.*

carent (a). Satis amplae reservationes, quas inde Benedictus XII latioribus verbis innovavit (b). Sed a se inductas reservationes duo isti pontifices ad vitae suae tempus arctarunt, & praeterea contestati sunt, se ideo tot beneficia reservasse, ut optimos quosque clericos ad ecclesias promoverent: idque non sine ratione factum est, nam nullo colore & in perpetuum tantae novitates propositae e vestigio fortasse reijcerentur.

Reservationes regulis cancellariae comprehensae.

§. IX. Atque hae temporariae reservationes veluti prima elementa fuerunt *regularum Romanae cancellariae*, quibus inceptum reservationum opus veluti absolutum est. Nimirum status Romanae curiae semel inductas temporarias reservationes retinere jussit & novas excogitari. Ergo ut jugum fortasse minus grave videretur, exemplo Joannis XXII & Benedicti XII reservationes sive antiquas sive novas, qui deinceps fuerunt, pontifices temporariis ad vitam suam decretis includere consueverunt: & hinc natae regulae cancellariae, quae morte pontificis extinguuntur, donec a novo pontifice non sine additionibus, detractionibus, aut mutationibus publicatae revivifcant. Principio regulae istae, prout nunc sunt, addicunt collationi pontificiae beneficia omnia, quae Joannes XXII & Bened. XII sibi ad vitam reservaverant, & praeterea beneficia omnia officialium Romanae curiae, etiamsi ante obi-

(a) *Extravag.* exsecrabilis *de praeb. in comm.*
(b) *Extravag.* ad regimen *de praeb. in comm.*

obitum officiales esse desierint, tum beneficia contra Tridentinas regulas collata (a). Item ecclesias omnes episcopales & monasteria omnia virorum, quorum reditus superant ducentos florenos aureos; & beneficia, quae vacante sede episcopali aut alterius praelati seu collatoris vacaverint, & ad illius solam collationem pertinent (b). Summa ducentorum florenorum auri ferme exaequat quatuorcentum triginta ducatos Neapolitanos. Porro regulae cancellariae pontifici reservant beneficia in fraudem reservationis ab iis resignata aut dimissa, qui ab sede apostolica incompatibilia beneficia sunt habituri, tum & ipsa incompatibilia, quae pontificia auctoritate obtinuerint (c). Item majores dignitates post pontificalem in ecclesiis cathedralibus, & quae in collegiatis sunt principales, reditumque decem florenorum auri communi aestimatione excedunt; prioratus etiam, praeposituras & alias dignitates conventuales & praeceptorias generales ordinum exceptis militaribus: & beneficia, quae familiares papae, etiam dum is cardinalis fungebatur honore, & cardinalium continui commensales obtinent, & in posterum familiaritate durante obtinebunt, etiamsi familiares quavis ratione esse desierint (d). Item beneficia, quae collectores & unici in quacumque civitate vel dioecesi subcollectores redituum camerae apostolicae durante eorum officio ob-

(a) *Reg. I. Cancell.* (b) *Reg. II.* (c) *Reg. III.* (d) Reg. *IV.*

obtinebant (*a*) ; & beneficia curialium in itinere decentium, dum curia transfertur (*b*) ; & beneficia cubiculariorum etiam honoris & cursorum pontificis (*c*) . Ad haec, reservantur etiam beneficia ecclesiarum S. Joannis Laterani, S. Petri & S. Mariae majoris ; & quae vacant in titulis cardinalium ipsis absentibus (*d*) . Sed longe plura hausit regula VIIII, quae pontifici reservat, beneficia omnia non reservata quae octo mensibus, nempe Januario, Februario, Aprili, Majo, Julio, Augusto, Octobri & Novembri vacaverint ; etsi episcopis, qui adsidui sunt, non vero aliis collatoribus concedatur, ut alternis cum pontifice mensibus beneficia, alias non reservata, conferant. Item novo cuique pontifici reservantur ea beneficia, quae sibi papa defunctus reservaverat, & ante ipsius obitum vacantia non contulisset (*e*) . Et demum beneficia temporariis regulis & constitutionibus reservari solita, quae vacante apostolica sede vacaverint, & antistites ordinarii vel neglexerint interea providere, vel non jure providerint (*f*) .

☞ *Beneficiorum reservationes Romanae Cancellariae regulis comprehensae non obstant, quominus liberum jus permaneat ordinariis regni nostri collatoribus, Has enim regulas ea tempestate qua primum invehi caeperunt medio nempe XIV. seculo, reprobavit Rex noster Joannes pragmatica* *san-*

(a) *Reg. V.* (b) *Reg. VI.* (c) *Reg. VII.* (d) *Reg. VIII.* (e) *Reg. XI.* (f) *Reg. LXVIII.*

sanctione an. 1392. sub die 15. Novembris irritas declarans electiones omnes, quae juxta dictas regulas in Romana curia fierent; quod sane nova lege firmavit ejus successor Alphonsus diplomate anno 1418. dato. Cum igitur nusquam has regulas in nostro Regno observatas R. Patrimonii Fiscus testatus esset; regnans Ferdinandus litteris die 5. Julii anno 1777. signatis Regio exequatur *privari jussit Romanae Datariae provisiones, quibus beneficia juxta dictas Cancellariae regulas conferuntur. vide additiones nostras Juris Siculi T. I. p. 110 & T. III. p. 37. ubi fusius de hac re agitur.*

Pontificia praeventio *in conferendis beneficiis.*

§. X. Porro pontifices Romani ad beneficia in ecclesiis Occidentis conferenda *praeventionibus* usi sunt. Nomine praeventionis venit quaedam occupatio, qua beneficia a propriis collatoribus nondum collata Romanus pontifex pro suo arbitrio elargitur. Opinatur Molinaeus (a), praeventiones reservationibus esse antiquiores, iisque initio usos pontifices pro beneficiis, quae in curia vacarent, idque ne ex diutina vacatione ecclesiis damnum inferretur: tum beneficiis istis sedi apostolicae reservatis, praeventionem foras erupisse, & extra curiam vacantia occupasse. Quo spectare videtur Clemens IV, qui ubi beneficia in curia vacantia pontifici reservavit, adseruit, talia beneficia ex longa consuetudine ad collationem pontificis pertinere (b). Quidquid vero hujus rei fit, certe aetate Bonifacii VIII prae-

---

(a) *Molin. ad regul. de infirmis resignantib. n. 172.* (b) *Cap. II. de praebend. in 6.*

praeventiones receptae erant (*b*); atque ex hoc tempore veluti in medio posita beneficia ecclesiarum Occidentis esse videbantur, ad quae occupanda & conferenda pontificis & ordinarii antistites concurrerent. Quoniam vero ambitu candidatorum ad praeveniendos collatores ordinarios multae fraudes in curiam irrepserant, & beneficiariis obtinebantur; prodiit regula cancellariae de *verisimili notitia*, qua decernitur, irritas esse pontificias collationes jure praeventionis factas, nisi a die mortis beneficiarii tantum spatium effluxerit, ut probabile sit de ea pontificem certiorem fieri potuisse. Quae regula etiam locum habet, ubi verisimilis quidem notitia poterat haberi, sed probetur, nuntium ante mortem iter Romanum suscepisse, quod *cursum ambitiosum* appellare solent (*c*). Ceterum in locis, ubi per menses collatio beneficiorum inter pontifices & episcopos tributa est, nullus amplius est usus praeventionis; hac enim instituta partione summus pontifex in mensibus non reservatis liberam collationem ordinariis tacite videtur reliquisse (*d*).

Mala ex mandatis, reservationibus & praeventionibus.

§. XI. Hactenus dicta satis superque produnt, Romanos pontifices sive mandatis, sive reservationibus, sive praeventionibus suae potestatis & collationis omnia ferme Occidentis be-

(a) *Cap. XXXI. eod.* (b) *Fleuryus instit. jur. eccles. lib. II. cap.* 21. (c) *Chokiet in prooemio regalae VIII. n.* 17.

beneficia reddidisse: qua ratione aucta quidem est Romanae sedis dignitas (si dignitas haberi pos- [illegible], ecclesiasticam hierarchiam turbare); at exitiale vulnus ecclesiasticae disciplinae inflictum est. Principio mandata captandae alienae mortis praebebant occasionem, quo nihil est a viri boni officio alienius. *Utinam quem proximus heres impello, expungam*, ut cum poëta loquar, secum dicebant, qui mandatis pontificis primum vacatura inhiabant beneficia. Mandatis quoque litibus omnia impleta: nam saepe pro pluribus clericis eidem antistiti pontifices mandata dederant, saepe etiam idem beneficium diversis mandatis obstrinxerant: uni autem collato beneficio ceteri sibi jus ademtum existimabant (a). Porro mandatis, reservationibus & praeventionibus aditus dignioribus ad beneficia praeclusus; in tanta enim negotiorum & clericorum multitudine, quibus aula Romana perstrepebat, facile erat pontificibus verba dare, etsi alias intenderent optimis clericis consulere. Haec omnia conventus ille theologorum sub Paulo III ad exponendas abusiones in comitiis Tridentinis mox emendandis indictus animadvertit, *alius abusus est in exspectativis & reservationibus beneficiorum, quibus & datur occasio, ut aliena mors desideretur, & libenter audiatur: praecludunt etiam aditum supremum dignioribus, quum vacant: dant litibus caussam*. Antistitibus etiam ordinandorum ecclesiae ministrorum adimebatur & e manibus extorquebatur facultas. Item clerici peregrini le-

(a) *Conf. Duar. de sacris minister. lib. V. cap. 8.*

legum & sermonis patrii ignari ad beneficia promoti, hierarchicus ordo turbatus, coactique sunt episcopi reddere rationes de cura & beneficiariis, quos ipsi non constituerant.

Quae fuerit prima ratio & origo mandatorum.

§. XII. Quaeri potest, quibus fundamentis in nova disciplina Romani pontifices sive mandatis, sive reservationibus, sive praeventionibus, omnia ferme Occidentis beneficia occuparint suique arbitrii fecerint. Eo pontifices devenisse nonnulli putant lucri cupiditate, ut nempe suos cognatos, amicosve, ipsamque Romanam curiam locupletarent: nec sane negari potest, aliquos pontifices reservationum auctores ad rem fuisse avidiores. Verum si res in origine sua expendatur, videntur necessitates ecclesiarum, seu potius clericorum vacantium mandata de providendo induxisse. Saeculo XII jam sejunctis ab ordinatione beneficiis, ordinationes sine titulo frequentes evaserant, passimque clerici vacantes per ecclesias incerti instabilesque vagabantur. Caverat quidem synodus Lateranensis sub Alexandro III, ut episcopi interim alerent, quos sine certa ecclesia ordinassent, donec eis aliquod beneficium contulissent (a); at canon iste parum servabatur. Ergo clerici beneficiis destituti Romam magno numero confluebant, ut ministerio pontificis, cujus patriarchalis potestas per totum Occidentem jam extendebatur, aliquod beneficium consequerentur. Hinc pontifices coeperunt vacan-

tes

(a) *Cap. IV. ex. de praebend.*

tes clericos ordinariis antistitibus commendare ut aliquod vacans aut vacaturum beneficium illis conferrent. Nec sane ejusmodi commendationes a ratione erant alienae, modo ad proprios, saltem ad ejusdem gentis ordinarios antistites clerici vacantes ablegarentur; in Occidente enim tum vernaculae linguae erant diversae, atque inde in rem ecclesiasticam profecto non cedebat, nullo delectu clericos quibuslibet episcopis commendare.

Caussae quibus inductae & extensae reservationes.

§. XIII. Mandata de providendo ex saeculi moribus inducta & brevi multiplicata viam munierunt reservationibus & praeventionibus, quae tamen nova doctrina, quae fert, plenariam omnium beneficiorum collationem ad pontificem pertinere, & necessitatibus Romanae curiae innituntur. Saeculo XI primum audiri coepit, ab una Romana ecclesia institutas fuisse omnes ecclesias earumque dignitates, idque aperte a Nicolao II propositum est (*a*). Inde veluti sponte sua illud descendit consectarium, unius pontificis esse ecclesias & beneficia omnia conferre, quasi id in ipsa fundatione pontifices sibi reservassent; & episcopos in partem sollicitudinis non in potestatis plenitudinem vocari. Sane Clemens IV eo nomine beneficia apud sedem Apostolicam vacantia reservavit, quod ecclesiarum & beneficiorum *plenaria dispositio* ad Romanum pontificem pertineret (*b*). Hac recepta doctrina

 sub

(a) *Can. I. D.* 22. (b) *cap. II. ex de praeb. in* 6.

sub Joanne XXII, qui ad opes quaerendas & coacervandas natus videbatur, statim novae reservationes inductae, quae continuatae & auctae sunt sub sequentibus pontificibus Avenionensibus, quibus multorum beneficiorum collatione opus erat, sive ad suam egestatem levandam (translata Avenionem Romana curia reditus ecclesiae Romanae in Italia intercepti erant), sive ad cardinales clericosque suos sustinendos. In primis vero Clemens VI ex fundatis per ecclesiam Romanam omnibus ecclesiis & beneficiis a se factas reservationes beneficiorum contra Eduardum III Angliae regem tutatus est (a). Inde etiam increbuerunt illa doctorum placita, Romanum pontificem esse collatorem collatorum & summum in ecclesia omnium beneficiorum dispensatorem.

Reservationes abrogatae in synodo Basileensi.

§. XIV. Satis in ecclesiarum perniciem creverant mandata de providendo & reservationes apostolicae, jamque proprio pondere ruere videbantur. Viri cordatiores omni tempore contra has novitates indoluerunt, nec semper principes eas in regnis suis permiserunt. Quapropter pontifices variis deliniimentis usi majores abusiones saepe emendarunt, sic aliorum querelis satisfacere studentes. In concilio Constantiensi moderatio reservationum, sed nullo effectu, expetita: etsi aliqui scribant, Martinum V in eo concilio electum quatuor menses a mandatis liberos fecisse. Inde in conventu Basileensi insta-

(a) *Ap, Raynald, ad an. CIↃCCCXLIII.*

ftaurari difplinam multi epifcopi poftularunt, liberafque ordinariis antiftitibus relinqui beneficiorum collationes. Et reipfa fynodus refervationes omnes fuftulit praeter illas, quae erant in corpore juris comprehenfae, quafque pontifices in dominio temporali fedis apoftolicae facere vellent (*b*). Excidit quoque fynodus ifta exfpectationes ad beneficia, quae non per electionem conferuntur: tantumque pontifici relicta eft facultas mandatorum ad unum beneficium, fi collator haberet in fuo jure decem; ad duo, fi habeat quinquaginta vel plura; ita tamen ne unus idemque pontifex duas concederet ejusdem capituli praebendas. Jus vero praeventionis illaefum intactumque pontifici fervatum eft. Haec decreta perlubenter Galli in comitiis cleri Bituricenfibus anno CIƆCCCCXXXVIII exceperunt, eaque mox in *pragmaticam fanctionem* conjecta funt. Ita in Gallia canonicae electiones & liberae beneficiorum collationes reftitutae funt; ftetitque haec nova difciplina ufque ad pacta, conventa inter Leonem X & Francifcum I regem, quibus prorfus invito & reclamante clero nominatio epifcoporum & abbatum & priorum conventualium, qui ex forma cap. *quia propter* ex. de elect. eligi debent, regi ceffit, pontifici vero confirmatio, praeter epifcopatus vacantes in curia, quos folus papa confert; refervationes penitus extinctae, mandata potius reftricta quam omnino fublata; praeventio vero integra pontifici relicta eft.

De-

(a) *Conc. Bafileenfe fef. XII. & XXIII. cap. 5. & 6*

Decretum synodi Tridentinae de mandatis & reservationibus.

§. XV. Decreta synodi Basileensis in Italia, Hispania & multis aliis provinciis non pari veneratione, ac in Gallia, excepta sunt. Hinc mandata, reservationes, praeventiones continuatae & latius diffusae. Ergo ventum ad comitia Tridentina, in quibus de abolendis mandatis & reservationibus quaestio suscitata est. Contendebant quidem saniores episcopi, penitus mandata & reservationes exscindi (a); at sancta synodus non per omnia eorum votis annuit: etenim tantum mandata de providendo prorsus abolevit, ut & reservationes mentales, at reservationes & praeventiones integras reliquit (b). Mentales reservationes ab Julio II & Leone X inductae erant, quibus summus pontifex hoc illudve beneficium collationi suae reservabat, inde certo clerico, cujus nomen non exprimebat, sed apud se retinebat, conferret. Hoc decreto parum promota est ecclesiastica disciplina, nam ubi per reservationes paene omnia beneficia collationi pontificiae cesserant, vix aliquid boni redundabat ex mandatorum abolitione. Sed temporum dura conditio obstitit, quominus synodus reservationes saltem moderaretur. Non enim status Romanae curiae, cui tot reditus ex reservationibus beneficiorum cedebant, integram disciplinae instaurationem patiebatur.

No-

(a) *Conf. Espen. par. II. tit.* 23. *cap.* 2. *n.* 1. *seqq.* (b) *Trid. sess. XXIV. de ref. cap.* 19.

Novae reservationes post Tridentinum.

§. XVI. Per omnes Occidentis ecclesias facile recepta est Tridentina reformatio, quatenus mandata pontificis ad beneficia & reservationes mentales rescidit & abolevit; reservationes autem ubi receptae erant, veluti in Italia, perdurarunt; in Gallia vero & Germania deinceps pacta conventa inter pontifices & reges obtinuerunt, praeter articulum de mandatis pontificiis, quae utpote per patres Tridentinos sublata, in Gallia amplius in usu non sunt. Quin quasi satis beneficiorum antiquae reservationes non continerent, pontifices post Tridentinam synodum novas induxerunt. Sane Pius V collationi pontificiae addixit beneficia, quae propter heresim vacarent (*a*), paroecias non collatas per solemne examen, quod *concursum* vocant, ex synodi Tridentinae forma (*b*); & beneficia quae contracta fiducia, seu, ut dicitur, *in confidentiam* recipiuntur (*c*). In *confidentiam* dicitur collatum beneficium, quod beneficiarius alterius favore a collatoribus adipiscitur pacto inito, ut illud aliquando resignet sequestro vel alteri, aut ut pensionem aut fructus aliquos inde praestet. Item reservata sunt beneficia vacantia ex resignatione, in qua Gregorii XIII decretalis *humano vix indicio* servata non fuit. Et demum ex bullis Xisti V. & benedicti XIII Beneficia eo nomine vacantia, quod habitus & tonsura clericalis non deferatur. *Di-*

(a) *Pius V. bulla* apostolatus officio. (b) *Idem bul.* in conferendis. (c) *Idem bul.* Romanum pontificem.

Divisio reservationum.

§. XVII. Solent autem reservationes dispesci in comprehensas juris corpore & extra illud vagantes. Comprehensae juris corpore ex receptiori sententia sunt, quae sexto decretalium continentur, puta beneficia in comitatu locisque finitimis, & quidem per obitum vacantia: ceterae vero omnes extra juris corpus censentur. Et quamvis extravagantes tam Joannis XXII, quam communes jamdiu partem systematis juris pontificii faciant; tamen ubi agitur de reservationibus extra juris corpus reputantur, fortasse quod iis comprehensae reservationes ferme temporariae erant (*a*). Clausae in corpore juris reservationes non adeo graves visae sunt, quo factum, ut eas nec synodus Basileensis exsciderit (*b*), atque hinc passim ubique receptae sunt. Sed extra corpus juris vagantes, utpote graves, nec omnes, nec semper prout verba sonant, in christianis provinciis obtinent. Quin regulis cancellariae comprehensae reservationes morte pontificis exspirant, & interim donec a novo pontifice publicentur, veluti postliminio jus ordinariorum antistitum restituitur: quae sententia ingenio illarum regularum ad amussim convenit. At Romani curiales ex rebus judicatis docent, eas tantum reservationes cancellariae regulis comprehensas Romana sede vacante amoveri, quae a conditione temporis vel loci dependent, non

(a) *Conf. Espen. par. II. tit.* 23. *cap.* 4. (b) *Conc. Basileense sess. XXIII. cap.* 6.

non vero quae reservant certi generis aut personarum beneficia (a).

Beneficia laici patronatus a reservationibus exemta.

§. XVIII. Reservationes in Italia & aliis provinciis, quatenus receptae sunt, omnes ordinarios antistites obligant, exceptis Romanae ecclesiae cardinalibus, quibus ex indulto pontificio concessum est suae ordinariae collationis beneficia, etsi reservata, conferre, prout indulti verba sonant (b). Porro generalibus reservationibus non continentur jurispatronatus laici beneficia, quae olim nisi ex adsensu patronorum nec mandatis pontificiis subijciebantur (c). Hujus juris hanc passim rationem adsignant, ne laici ab aedificandis aut dotandis ecclesiis abstrahantur. Hinc Gonzalez (d) docet, juspatronatus esse debere ex fundatione aut dotatione, ut regula de mensibus reservatis non comprehendatur. Verum sententia ista non consonat moribus receptis, qui a reservationibus eximunt juspatronatus laicum quocumque titulo quaesitum. Quin idem jus est in beneficiis jurispatronatus misti, cui omnia privilegia jurispatronatus laici communicantur (e). Tantum ex adsensu patrono-

---

(a) *Cardin. de Luca de benef. disc. VII. n. 5., Rigant. com. ad regul. IV. §. 2.* (b) *Conf. Germonius de indult. cardinal.* (c) *Gregor. IX. ep. XIII. ad magnates Angliae, Conf. N. Alexand. hist. eccles. saec. XIII. & XIV. cap. 7. art. 3.* (d) *Hieronym. Gonzalez in reg. VIII. cancell. glos. 18. n. 22.* (e) *Piton. discept. III. de jurepatron.*

rum beneficia patronatus laici summus pontifex confert, aut si collatio ex negligentia patronorum & collatorum ad ipsum devolvatur. Nec hodie apud nos regia potestas ratas habet pontificis collationes, in quibus ille ex certa scientia & expressione vel in totum vel pro parte suffragiis patronorum derogaverit. Sed beneficia jurispatronatus ecclesiastici reservationibus sive specialibus sive generalibus subjiciuntur (a): nisi pactis conventis, aut indultis pontificiis, aut lege fundationis aliter receptum sit.

Quid annatae, & an recte exigantur?

§. XIX. Jam in collatione beneficiorum, quae pontifici reservata sunt, beneficiarii ex propriis pecuniis pendunt *annatas*, ut dicuntur, antequam bullas collationis consequantur. Sunt *annatae* media pars fructuum primi anni ex collato beneficio provenientium fisco pontificio, cardinalibus & inferioribus ministris in collatione beneficii pendi solita. Prima novi hujus vectigalis rudimenta Joannes XXII expressit, qui ob ecclesiae necessitates, ut ipsi praefatur, fisco pontificio cedere jussit fructus primi anni omnium beneficiorum, quae intra triennium vacarent, exceptis episcopatibus & abbatiis (*b*). At proprie sic dictas *annatas* Bonifacius IX inter incendia schismatis Avenionensis induxisse videtur: ad suas enim suorumque levandas necessitates ex omnibus beneficiis etiam episcopatibus & abbatiis, quae ab apostolica sede confe-

(a) *Cap. VI. de off. legati*, *cap. XXVIII. de jurepatron.* (b) *Extrav. XI. de praeb. in comm.*

rebantur, dimidios primi anni fructus, quos ipsi beneficiarii penderent, fisco pontificio reservavit (*a*). Initio annatis tantum subjecta beneficia conferri consueta; at inde ut uberior reditus fisco pontificio inferretur, extensae sunt ad beneficia unita, ita tamen ut (quod numquam vacarent) decimoquinto quoque anno penderentur: & in hac specie annata *quintadecima* dicitur (*b*). Annatae non ab omnibus probatae, quin a multis viris doctis tamquam simoniacae traductae, quod non gratis beneficia conferantur (*c*). Sed exactio non est pro collatione, sed potius ad sustinendas Romanae curiae necessitates: quo nomine Petrus de Marca & Thomassinus nihil turpis lucri annatis inesse contendunt (*d*). Quamquam negandum non videatur, clericorum necessitates a multis saeculis luxu & saeculi pompis aestimari. Ut vero constaret de annatarum quantitate, prodiit regula cancellariae *de exprimendo valore beneficiorum in impetrationibus*: quae regula in episcopatibus & abbatiis, in quibus annatae secundum antiquas taxas penduntur, locum non habet. Ceterum minuta beneficia, quae red tum XXIV aureorum de camera non excedunt, annatis non subjacent, quod in Italia servatur: nam extra Italiam ferme sola beneficia, quae dicuntur *con-*

(a) *Platina in vit. Bonifacii IX.* (b) *Conf. Sarpus materie benefizali n. XXXVIII.* (c) *Conf Duaren. lib. VI.de sacr. minister. cap.* 3., *Launojus & Sarpus*.. (d) *P. de Marca lib. VI.de C. S. & I. cap.* 12. *n.* 6.*Thomass. par. III. lib.* 2. *cap.*58.

ſiſtorialia, vectigalia ſunt, non item reliqua minora (a).

CAPUT XLVIII.

De commendis beneficiorum.

Eccleſiarum commendae *ex veteri diſciplina*.

§. I. Species quoque collationis beneficiorum ex novis moribus cenſentur *commendae*, contra quam veteri diſciplina conſuetum erat. Priſcis temporibus in commendationem eccleſiam dare erat eam vacantem alicui idoneo clerico regendam committere; ſaepe enim contigebat, ut eccleſiae vacanti non ſtatim proprius paſtor praefici poſſet. Eccleſiae autem cathedrales in primis committebantur vicinis epiſcopis, qui eas ſaepius inviſerent, interim regerent & electionem proprii epiſcopi procurarent (b). Atque iſti epiſcopi *viſitatores*, *interventores*, & *interceſſores* dicebantur, qui ut ceteri temporarii rectores, ab eccleſia ſibi demandata tantum neceſſaria alimenta decerpebant (c), eorumque officium ſtatim ac proprius paſtor creabatur, ceſſabat. Similiter ſi eccleſia quaevis epiſcopalis a barbaris devaſtata fuerat, nec ejus ſupererat epiſcopus, eam Gregorius M vicino cuidam epiſcopo commendabat, ut ſuam ei, quoad poſſet, curam im-

(a) *Conf. Eſpen. par. II. tit.* 24. *cap.* 4. (b) *Can. XVI. & XIX. D.* 61. (c) *Thomaſſ. par. II. lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 3.

impenderet (*a*): quo casu ad longius tempus commenda poterat durare. Nonnumquam etiam episcopis, quos sedibus suis barbari ejecissent, abbatiae in temporalibus & spiritualibus commendatae (*b*). Et quoniam ad tempus erant commendationes, receptis regulis non repugnare videbatur, ut pastores aliarum ecclesiarum commendationes susciperent, aut etiam saeculares clerici interim monasteria administrarent. Ita invaluit regula, unum clericum duas ecclesias posse retinere, unam quidem *in titulum*, seu proprio & perpetuo jure, alteram *sub commendatione*, quam regulam Leo IV & Gregorius IX proponunt (*c*).

Monasteria olim a regibus commendata.

§. II. Sic descriptae commendae utilitati ecclesiarum inserviebant, nec iis canones, qui duabus ecclesiis clericos insigi vetabant, erant impedimento. At labentibus annis quod in utilitatem ecclesiarum receptum erat, in ipsarum perniciem mirabiliter conversum est. Principio ecclesiae & praesertim monasteria regum dono & beneficio laicis & saepe militibus sub commendatione concessa sunt, ut eorum reditus loco stipendiorum cederent (*d*); etsi milites his commendis donati etiam monasticae disciplinae praefecti censerentur. Invaluit hic usus in Gallia praesertim tempore Caroli Martelli ex necessita-

ta-

(a) *Gregor. M. lib. ep.* 13. 15.35. (b) *Greg. M. lib. I. ep.* 38. & 39. (c) *Can. III. C.*21. *q.*1. *cap. LIV. ex. de elect.* (d) *V. Thomass. par. II. lib.* 3. *cap.*12. & 16. & *seqq.*

tatibus bellorum, quae undique non minus in rempublicam, quam ecclesiam ingruebant: inde etiam extra publicas necessitates continuatus & ad alias provincias extensus est. Monasteriis praefecti milites *abbates* dicebantur; & ne saeculi dignitates in titulis omittere viderentur, *abbacomites* seu *abbicomites* etiam audierunt (*a*). Vix dici potest quam male cesserint rei monasticae monasteria laicis commissa; nam spurii abbates unice reditibus colligendis intenti, monachos eorumque disciplinam, cujus subinde erant ignari, parum curabant. Hinc episcopi saepe apud principes egerunt, ut militares monasteriorum commendationes tollerentur, restituta monachis abbatis electione, vel ad minimum ea episcopis commendarentur. Quoniam vero monasteriorum concessionibus principes etiam militiam sustinebant, episcopos multa tolerare oportuit; at interim statutum, ut episcopi una cum aliquo abbate instaurationi monasteriorum, disciplinae monasticae & monachorum necessitatibus consulerent (*b*). Sed tandem ab Hugonis Capeti tempore principes monasteria militibus commendare desierunt.

Fictae & spuriae commendae.

§. III. Praeterea saeculo XIII, innumerae paroeciarum, prioratuum & inferioris ordinis beneficiorum commendae prodierunt, quae non minori exitio fuerunt ecclesiis; nam illarum fu-

---

(a) *Cangius v.* abbacomites. (b) *Capit. Ludovici Pii de anno IↃCCCXXIII. cap.VIII.*, *conc. ap. Theodonis villam an. IↃCCCXLVI. can.V.*

fuco episcopi & ordinarii collatores abusi sunt ad eludendos canones, quibus coacervatio beneficiorum vetabatur, & qualitates ad obtinenda beneficia praescriptae erant. Nimirum iis, qui paroecias aut alia singularia beneficia in titulum obtinebant, paroeciae aut alia beneficia in perpetuam commendationem concedebantur, ut multorum beneficiorum commodis pasceretur, salvis interim canonum verbis, at eorum sententia impie conculcata (a). Item fuco commendarum beneficia perpetuo data sunt iis, qui necessariis qualitatibus destituebantur, veluti paroeciae non presbyteris, & beneficia monastica clericis saecularibus (b), idque alienum non credebatur ab antiquis moribus, qui necessario non requirebant, ut qui sub commendatione ecclesias accipiebant, ejusdem ordinis & instituti ac veri pastores essent. Utriusque generis fucatis commendis episcopi, abbates & reliqui ordinarii collatores ea aetate perdebant ecclesiasticam disciplinam; non Romani pontifices, qui tum magno numero mandata non pro commendis, sed pro beneficiis universi Occidentis scribere antistitibus consueverant. Interim synodus Salmuriensis vetuit, ne paroeciae iis commendarentur, qui aliam paroeciam aliudve beneficium obtinerent; & synodus Lugdunensis sub Gregorio X paroeciarum itidem commendas excidit, tantumque in ecclesiae utili-

ta-

(a) *Conc. Salmuriense an. MCCLIII. can. XXVIII.* (b) *Cit. conc. Salmuriense can. XIX.*

tatem ad sex menses eas permisit commendari (*a*).

Commendae a pontificibus datae.

§. IV. Post synodum Lugdunensem cessarunt quidem episcopi paroecias in commendationem perpetuo dare; at deinceps opera Romanorum pontificum commendae non solum paroeciarum & inferiorum beneficiorum, verum etiam episcopatuum & abbatiarum torrentis instar non in ecclesiarum, sed in clericorum utilitatem & commodum, exundasse visae sunt. Hinc ita concipi consuevit formula diplomatis, *tibi ecclesiam commendamus, ut statum tuum juxta gradum tuae nobilitatis tenere valeas*. Tantae licentiae aditum aperuit Clemens V, qui vel ex assueta pontificum in inaugurationibus suis liberalitate, vel politicis rationibus victus, vel importunis precibus fatigatus beneficiorum omnis generis etiam episcopatuum & abbatiarum innumeras commendas in impetrantium utilitatem concessit, quod ipse pontifex ingenua confessione, ubi ex gravissimo morbo convaluit, professus est (*b*). Inde quousque Avenione fixa perstitit sedes apostolica & multo magis in schismate Avenionensi commendae multiplicatae sunt; dissentientibus pontificibus sive coacervatione beneficiorum, sive commendarum effusione rem promoventibus suam. Nec extincto schismate instaurata est ecclesiastica disciplina; Paulus enim II qui anno MCCCCLXIV. pontificatum iniit, in consistorio professus est, a

Cal.

(a) *Cap. XV. de elect. in 6.* (b) *Extravag. II. de praeb. in comm.*

allisto III., qui ferme ante decem annos sede-
t, ad eam diem amplius quam quingenta mo-
isteria esse commendata (*a*). Praesertim vero
ommendabantur monasteria cardinalibus &
aelatis, qui id sibi oneris imponi petebant ad
staurandam, quae jam dilapsa erat, monasti-
um disciplinam.

Mala ex commendis exorta.

§. V. Vix autem dici potest, quo exitiali
ulnere affecta est ecclesiastica disciplina, ex
uo commendae, quae in utilitatem ecclesiarum
istitutae erant, in commodum clericorum
egenerarunt. Reditus ecclesiarum absumti,
cclesiae & monasteria collapsa, perdita omnis
ve clericorum sive monachorum disciplina,
)ei cultus neglectus, peregrinis hospitia
enegata, pauperibus nihil relictum: quae
ala ex commendis pullulantia ipsi pontifices,
ui eas concedebant, & synodus Lateranensis sub
eone X vivis coloribus depinxerunt (*b*). Nam
oni isti custodes & in rem suam procuratores u-
ice de reditibus colligendis solliciti, nihil aut
arum clericis & monachis ad vitam sustinendam,
e ad exercitium externi cultus religiosi relin-
uebant, & ab ecclesiis sibi commendatis absen-
es qui clericalem & monasticam disciplinam po-
erant promovere? Quin experientia common-
travit, illos ipsos cardinales & praelatos, qui
d instaurationem rei monasticae petierunt sibi
nst.jur.can.T.V. E e mo-

(a) *Ap. Raynal. ad au.MCCCLXIV*, (c) *Ex-
ravag. II. de praeb. in comm.*, *conc. Lateran. sub
Leone X. sess. IX*,

monasteria commendari, eo colore usos fuisse, ut facilius reditus monasticos invaderent.

Commendae etiam post Tridentinum superstites.

§. VI. In tanta ecclesiarum & monasteriorum calamitate e re ecclesiastica erat, degeneres commendas prorsus aboleri. Verum eo statu erat Romana curia, ut nec mala commendarum, nec remedia ferre posset, praesertim postquam sub Leone X cardinales numero creverunt. Itaque canonica jurisprudentia invita commendae continuarunt, nec servatus modus, quem illis synodi Constantiensis & Lateraaensis sub Leone X imposuerant. Inde Tridentini patres saltem in futurum commendas omnes videntur abrogasse; nam tum omnes vigentes delere temporis dura conditio non permisit. In primis prorsus eliminarunt commendas, quae episcopatuum & singularium beneficiorum coacervationi inserviebant (a). Deinde tum vigentes commendas monasteriorum, in quibus erant monachorum conventus, quousque viverent fiduciarii abbates, tolerarunt, exceptis monasteriis, quae ordinum capita erant, in quibus etiam tum receptas commendas sustulerunt; interim vero cura commissa est Romano pontifici, ut pro prudentia sua in tum commendatis inferioribus monasteriis ejusdem ordinis superiorem designaret; at ubi commendae istae vacarent, deinceps ea commendari vetuerunt; *quae vero in posterum vacabunt, non nisi regularibus spectatae vitae & sanctitatis confe-* ran-

(a) *Trid. ses. VII. de ref. cap.* 4.

rantur (a). Hoc decreto in posterum omnes monasteriorum commendae abolitae videntur, quod Espenius demonstrat (*b*); at synodi sententia aliorsum accepta est; quasi etiam in posterum tolerasset commendas monasteriorum, quae ordinum capita non essent. Itaque etiam post Tridentinum praesertim in Italia & Gallia perstiterunt commendae monasteriorum & prioratuum, quae in commendam dari consueverant monasteriis ordinum principibus tantum exceptis. Passim quoque commendis subjiciuntur monasteria monachis destituta: quin etiam ipsa beneficia simplicia saecularia, quae ceteris clericis in titulum conceduntur, cardinalibus in perpetuum solent commendari. Ceterum in monasteriis commendae subjectis mensa abbatis & monachorum sejunctae sunt; jure enim verendum erat, ne boni custodes integros reditus absumerent, & nihil monachis & divino cultui relinquerent(*c*).

Commendae effectu juris censentur beneficia.

§. VII. Illud interim oportet observare, ex moribus praesentibus commendas potius verbis quam re differre a beneficiis, quae in titulum conferuntur; non secus ac jure civili bonorum possessio verbis non re ab hereditate distat: quod Barbosa, Ant. Faber, Hieronymus a Costa aliique passim observant. Sane non minus commendae quam beneficia perpetuo concedi solent, & fiduciarii clerici effectu juris iisdem praerogati-

 vis

(a) *Trid. sess. XXV. de regular. cap.* 21. (b) *Espen. par. I. tit.* 31. *cap.* 7. *n.* 36. (c) *Gregor. XIII bul.* superna *XVIII. in bull. Rom.*

vis ac veri beneficiarii fruuntur. Ita habent liberam proventuum administrationem: dant literas dimissorias ad ordines suis subditis, aeque ac abbates & reliqui praelati; habent jurisdictionem in monachos, non secus ac veri abbates; hoc tamen adhibito temperamento, ut tantum ea utantur, si in beneficio ipsi resideant, & ordinarius praelatus ejusve vicarius absit (*a*): quamvis in Gallia tanta potestate in monachos fiduciarii abbates non utantur, nisi sint cardinales; & Cistertienses apostolicis privilegiis obtinuerint, ne in sui ordinis monasteriis commendatis abbates fiduciarii ullam jurisditionem exercerent (*b*). Porro in Gallia quicunque commendis donantur, ad sacros ordines suscipiendos coguntur (*c*); similiter in Italia tenentur ad adsiduitatem, & ordinum susceptionem, si animarum cura interior monachorum aut aliorum fidelium ipsis fiduciariis incumbat (*d*). Item commenda perpetua, non secus ac verum beneficium, potest cum alio beneficio permutari: duo beneficia singularia unum in titulum, alterum in commendam nequeunt obtineri; commendis aeque, ac beneficiis pensiones imponuntur. Ceterum commendata beneficia pristinam qualitatem non deperdunt, & ita monasteriis in commen-

(a) *Conf. Ant. Faber. in cod. lib. I. cit. 2. def.* 34. (b) *Conf. Fagnan. ad cap.* edoceri *ex. de rescript.* (c) *Conc. Rothomagen. an. MDLXXXI tit. de monaster. cap.* 4. (d) *Conf. Gallemart. in adnot. ad Trid. sess. VI. de ref. cap.* 2.

mendam concessis semper regularis qualitas inest, ac si fiduciarius esset verus abbas votis monasticis adstrictus.

Solus summus pontifex commendas concedit.

§. VIII. Solus autem summus pontifex ex recepta disciplina commendas concedit. Nimirum perpetuae commendae effectu juris pro veris beneficiis reputantur: eaque concedi solent iis, qui qualitatibus ad obtinenda beneficia destituuntur; monastica enim beneficia praelatis saecularibus commendantur; quum tamen canones saecularia beneficia clericis saecularibus, regularia regularibus conferri jubeant. Quapropter solus summus pontifex, cui soli hodie competit facultas canones relaxandi, commendas concedit, quod dum facit canones relaxare censetur (a). Immo ex nova disciplina nec episcopis licere videtur vacantium paroeciarum semestres commendas, quas iis synodus Lugdunensis sub Gregorio X reliquerat, constituere; cautum est enim in synodo Tridentina, ut statim a notitia vacationis paroeciarum episcopus oeconomum seu vicarium, si opus fuerit, constituat cum congrua fructuum parte, qui curam ecclesiae sustineat, quousque parochus creetur (b). At quid caussae est, cur Romana curia ex canonum venia perpetuas commendas concedat, & non aeque eadem beneficia, similiter canonibus relaxatis, in titulum conferat? Scilicet commendis etiam ali.

(a) *Hieronym. a Costa histoire des revenus ecclesiast.* (b) *Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 18.*

aliquatenus canones servari videntur; & jampridem est, quod externam canonum speciem servare laboramus.

CAPUT XLIX.

De laica beneficiorum collatione.

An laici aliquando dederint ecclesias?

§. I. Quamvis autem beneficiorum collatio res spiritualis sit & sacerdotio cohaereat: tamen mediis saeculis laici plures eam adquisiverunt, seu potius usurparunt. In primis oratoriorum fundatores aliquoties ea cum consensu episcopi praesbyteris, quibus vellent, *commendare*, seu dare consueverant, id quod Romana synodus sub Eugenio II & Leone IV decrevit (*a*). Majori autem potestate usi, seu abusi sunt laici saeculo nono & deinceps in ecclesiis, quas in feudum sive a regibus sive ab episcopis acceperant; nam tamquam si essent privati domini, eas pro arbitrio & inscio episcopo clericis dabant, institutosque clericos mox ejiciebant. Quid enim boni a laicis sperandum erat illa tempestate, qua clerici ferme omnes luto incontinentiae & simoniae conspurcati ecclesiasticam perdebant disciplinam? Interim quod laicis ministeriorum Dei dispensatio non competebat, canones saeculo X & sequenti passim damnarunt ejusmodi a laicis factas ecclesiarum concessiones (*b*); eoque

(a) *Cau. XXIII. C. 16. q. 7.* (b) *Conf. Thomassin. part. II. lib. 1. cap. 55.*

que frequentibus decretis redacta res est, ut laicis tantum jus esset in ecclesiis, quas possidebant, nominare clericos; quos inde episcopus instituteret. Non tamen per omnia desierunt laicorum collationes; nam Carolus Molinaeus complures nobiles laicos recenset, qui beneficia, immo qui paroecias conferant (a).

Multa reges conferunt beneficia.

§. II. Quamvis autem frequentibus decretis plerasque a laicis fieri solitas beneficiorum collationes ecclesia tandem abolevit; tamen integra remanserunt jura summorum imperantium, qui ex antiquis institutis conferunt adhuc multa beneficia, praesertim aere regio fundata. Certe reges Angliae in ecclesia S. Petri de curia Cenomanensi, quae erat regiae fundationis, episcopo inconsulto; decanum creabant, & praebendas conferebant; quod Innocentius III testatur (b). Et Honorius III habet, decanum Andegavensem ex donatione regis praebendas ejusdem ecclesiae dedisse (c). Gregorius quoque IX jus fuisse Friderico II adgnoscit, ut aliqua beneficia conferret, non item ut curam animarum illis adnexam committeret (d). Quis porro nescit, reges Galliae ex antiquis institutis, quousque sedes episcopales vacant, *jure regaliae*, ut appellant, beneficia omnia, quae episcopalis collationis sunt, praeter paroecias, conferre? Quod

(a) *Molin. ad reg. de infir. resignant. n. 4 6. & seqq.* (b) *Cap. IV. de consuetud. in 3. coll. ap. Ant. August.* (c) *Cap. XXXIV. ex. de praeb.* (d) *Ap. Raynald. ad an. MCCXXXVI. n. 14.*

Quod jus in Gallia etiam inferiores dynastae habuerunt (*a*), eoque etiam Angliae reges aliique utebantur (*b*). Similiter reges Apuliae & Siciliae ex antiquis institutis multa beneficia praesertim regii patronatus pleno jure elargiuntur: creant enim reges nostri archipresbyterum Altamurae, priorem S. Nicolai Bariensis, abbatem S. Egidii Altavillae, qui omnes quasi episcopali dignitate condecorantur, & praeterea multa alia minora beneficia in variis dioecesibus regni sive simplicia sive cum cura animarum conferunt, quorum recensionem Chioccarellus, Scipio Mazzella & novissime Troylus scriptis consignarunt (*c*).

Sed ex consensu ecclesiae tacito vel expresso.

§. III. At hic nodus vindice dignus occurrit, qui possint reges suaptae potestate beneficia conferre & sacra ministeria dispensare, non interveniente episcopi jussione vel confirmatione? Ab antiquo haec difficultas rei canonicae peritos exercuit; eorumque varias sententias N. Alexander congessit (*d*). Verum nihil ad rem magis dici potest, quam reges beneficia conferre, tanquam episcoporum vicarios, ex expressa vel tacita ecclesiae concessione. Ubi enim collatio bene-

(a) *Conf. Petrus de Marca de C. S. & I. lib. VIII. cap.* 25. (b) *Cap.* ex diligenti *de jur. patron. in* 1. *coll ap. Ant. Aug* (c) *Chioccarel. arch. tom. VI*, *Mazzella descrizione del regno di Napoli*, *Troylus tom. IV. hist. par.* II. *cap.* 3.

(d) *N. Alexander diss. VIII. in saec.* 13. *&* 14. *art.* 6.

neficiorum ab ordinatione fejuncta eft, nihil impedimento fuiffe videtur, quin illa in inferiores clericos & laicos, immo feminas, devolveretur, immobili penes epifcopos ordinum collatione remanente. Ipfe Bonifacius VIII, etfi Philippo Pulchro minus aequus, profeffus eft beneficiorum collationem laico poffe competere *ecclefiae confenfu tacito vel expreffo* (*a*). Confenfus expreffus adeft, fi fummi pontificis privilegio datio beneficiorum regibus conceffa fit; tacitus vero ubi ex longa confuetudine, cujus non exftet memoria, reges fcientibus & prudentibus epifcopis beneficia contulerint. Quin paffim docent, hac in re antiquam confuetudinem, cujus non exftet memoria, privilegii vim habere, quam fententiam Petrus de Marca multis illuftrat (*b*). Etiam fcriptores Neapolitani a privilegiis pontificum regibus noftris vindicant beneficiorum collationem (*c*): quae eadem gloffae in Gratianum fententia fuit (*d*). Sed in compertis eft, reges noftros etiam ante expreffa privilegia tacito ecclefiae confenfu beneficia contuliffe. Interim e re chriftiana omnino effet, ut poft collata a regibus beneficia, praefertim curam animarum aut fpiritualem jurisdictionem habentia, beneficiarii miffionem ab epifcopis acciperent: quod vidit Lodovicus M. rex chriftianiffimus, qui col-

(a) *Ap. Raynald. ad an. MCCCXI. n.* 34.
(b) *P. de Marca lib. III. de C. S. & I. cap.* 9. *n.* 6. (c) *Andreas de Ifernia in prohoem. conftit. regni n.* 50. (d) *Glof. in can. I. C.* 16. *q.* 7.

latis jure regaliae beneficiis, quibus spiritualis aliqua jurisdictio inest, voluit, ut a vicariis capituli aut ab episcopo canonica missio concedatur.

Mandata & indulta regum ad conferenda beneficia.

§. IV. Nec tantum summi imperantes pleno jure multa beneficia conferunt, verum etiam ad ordinarios antistites mandata dare consueverunt, ut designato clerico aliquod vel tum vacans vel deinceps vacaturum beneficium conferrent. Scribebant autem mandata ista reges omnes, etiam reginae eaque initio, peraeque ac mandata pontificum, merae preces fuerunt; at inde in praecepta, quibus collatores adstringerentur, abierunt (a). Hoc jure nunc utitur imperator, qui semel post inaugurationem singulis in Germania collatoribus mandata dirigit, quae *primae preces*, quasi unicae, dictae sunt, quod semel ad vitam imperatoris dantur; idque ex probata & antiqua consuetudine: nec sane principibus opus erat pontificio privilegio, ut clericos ad obtinenda beneficia antistitibus commendarent. Quamvis non defuerint reges, quibus id jus pontificia indulgentia concessum fuerit. Porro reges christianissimi privilegio Pauli III. summi pontificis aucti sunt indultis, quibus cancellarium & senatores Parisienses, aut ab illis nominatos, praesentant ordinariis antistitibus, qui semel quousque vivant, tenentur nominatis aut illis, quos isti nominaverint, beneficium vacatu.

(a) *Conf. Thomass. par. II. lib. 1. cap.* 54.

turum conferre (a). Quod indultum concessum videtur, ut senatus Parisiensis aequior esset pactis conventis inter Franciscum I. regem & Leonem X., quibus senatu & clero invito pragmatica sanctio, saltem quod spectat liberas electiones, infringebatur. Sunt autem sive imperatoris primae preces, sive regis christianissimi indulta verae exspectationes, quas Tridentina synodus omnino delevit. At eo decreto mandata summorum imperantium, qui specialiter designandi erant, comprehensa non sunt, quod ipsa sacra congregatio adgnovit (b).

CAPUT L.

De jurepatronatus.

Definitio jurispatronatus.

§. I. ANtistites beneficiorum collatores saepe tenentur conferre certis clericis, quos alius ex jure in ecclesiam nominaverit: quo casu offerens *patronus*, beneficia *jurispatronatus* & collatio stricto sensu *institutio* dicitur. Est itaque in re beneficiaria juspatronatus facultas canonibus data, qua patronus vacante beneficio idoneum ministrum offert ab episcopo aliove collatore instituendum, & simul aliis juribus partim utilibus, partim onerosis, partim honorificis u-

Ff 2 ti-

(a) *Confer. Cabassut. theor. & prax. jur. can. lib. II. cap.* 4. (b) *Apud Fagnan. ad cap.* nullus *ex, concess. praeb.*

titur. Hoc ſenſu acceptae voces *patroni & juris-patronatus* apud antiquos, etiam poſtquam res ipſa innotuerat, non occurrunt. Etenim veteres utebantur nominibus *fundatoris*, aut *aedificatoris*, nominatio vero iis data potius *gratia* ſeu privilegium, quam jus dicta eſt (a): recteque monet Franc: Florens (*b*). nomen *patroni*, quod in *cap.*I. & II. *ex. de jurepatron.* occurrit, a Raymundo inſitum fuiſſe, ut canones illos, qui loquebantur de laicis eccleſiarum poſſeſſoribus, ad ſuae aetatis diſciplinam inflecteret. Fortaſſe primus voce *patronus* Hincmarus Rhemenſis uſus eſt (*c*); at nono ſaeculo ea voce jus majus videtur indicatum, illud ſcilicet, quo proceres & laici a ſe poſſeſſas eccleſias veluti in ſuo patrimonio reputabant, quod pluribus Boëhmerus illuſtrat (*d*). Sed lapſu temporis exciſo laicorum in eccleſias dominio, *patroni* vox novam & modo receptam notionem induit.

Origo patronatus.

§. II. Hoc ſenſu acceptum juspatronatus in eccleſia diu incognitum fuit. Sane ubi primum chriſtiani pro libertate ſua eccleſias aedificare coeperunt, communibus eccleſiae ſuffragiis eligebantur earum miniſtri; & fundatores potius ſanctitatis gloria, quam ullis praerogativis ſupra reliquos fratres eminere contendebant. Tantum a fundatoribus ſaepe eccleſiis nomen inditum

tum

(a) *Conc. Arauſic. ann. CCCCXLI. can. X.*
(b) *Florens de antiq. jurepatronat.* (c) *Hinom. in capitulis cap. ult.* (d) *Boëhmer. jur. eccl. lib. III. tit.* 38. §. 22.

tum (*a*), & eorundem nomina inter publicas preces recitari solebant (*b*). Verum inde sensim fundatoribus concessum est, ut in suis ecclesiis ministros ordinandos episcopo offerrent. Et in Occidente quidem primum videtur synodus Arausicana anno CCCXLI. eam gratiam concessisse episcopo, qui in aliena dioecesi ecclesiam exstrueret, ut ad eam regendam pro arbitrio suo clericos eligeret, & loci episcopo sisteret ordinandos (*c*). Satis restrictum beneficium, nam tantum episcopo aedificatori non vero aliis christianis data est nominatio, fortasse quod episcopi optimi erant de qualitatibus clericorum judices, non item laici. Interim in Oriente hujus synodi aetate videntur etiam aliquando laici in ecclesiis aut monasteriis a se aedificatis clericos nominasse & abbates dedisse, quod exemplis Thomassinus probat (*d*). Certe vero aetate Justiniani xenodochiorum & ecclesiarum fundatores jure seligendi xenodochos, oeconomos & presbyteros aucti erant (*e*). Et in Occidente ante saeculi sexti medietatem in oratoriis & paroeciis, quas in suis agris laici construebant, jam receptum erat juspatronatus (*f*). Generatim vero in synodo Toletana IX. anno DCLV. celebrata ad puniendam quorundam episcoporum negligentiam fundatori.

(a) *Conf. Franc. Florens loc. cit.* (b) *Chrysost. hom. XVIII. in acta.* (c) *Conc. Arausic. can. X.*
(d) *Thomass. par. II. lib.* 10. *cap.* 29. (e) *L. XLVI.* §. 3. *C. de episc & cleric.*, *novel. CXXIII. cap.* 18. (f) *Conc. Aurelianense IV. can. VII. & XXXIII.*

ribus, quousque ipsi viverent, datum, ut rectores idoneos in paroeciis a se fundatis episcopo offerrent (a).

Quando patronatus in heredes transire coepit.

§. III. Verum enimvero quo primum tempore canones fundatoribus concesserunt, ut in ecclesiis a se exstructis ministros ordinandos episcopis sisterent, praerogativa ista personalis fuit, in heredes non descensura. Certe in Justiniani legibus eo tantum casu heredibus conceditur, ut clericos ecclesiis offerant, *si exspensas ipsis clericis ministrent* (b). Et quamvis ejusdem imperatoris legibus comprehensum sit, ut fundatores aut heredes oeconomos in ecclesiis, aut xenodochos in xenodochiis eligerent (c); tamen eadem praerogativa heredibus fundatorum non est concessa in constituendis ecclesiarum rectoribus. Porro patres concilii Toletani IX. concesserunt, ut *quandiu fundatores ecclesiarum in hac vita superstites exstiterint*, idoneos rectores episcopis offerrent (d), heredibus vero ut in earum conservationem invigilarent (e): quae regula probat, jus nominandi in heredes non descendisse, quod Hallierius observat (f). Sed labentibus annis nominandi facultas etiam heredibus cessit, idque in Occidente praesertim invaluit, postquam

---

(a) *Conc. Tolet. IX. can. II.* (b) *Novell. CXXIII.* (c) *L. XLVI. §. C. de episcopis & clericis.* (d) *Conc. Tolet. IX. can. II.* (e) *Cit. conc. Tolet. can. I.* (f) *Halier. de sacris elect. par. I. sect. 8. cap. 1. art. 2. §. 2.*

quam oratoria in usum privatarum familiarum evaserunt frequentiora; & ecclesiae laicis in feudum concessae sunt; constat enim laicos a se possessas ecclesias in heredes transmisisse. Atque ita praerogativa illa, quae spiritualis erat, non secus ac cetera hereditaria jura reputari coepit.

Patronatus adquiritur fundatione aut dotatione.

§. IV. Pluribus vero modis juspatronatus adquiritur, quorum potiores sunt ecclesiae fundatio seu constructio, & dotatio, qui tituli passim in sacris canonibus & jure civili probantur. Fundatione adquiri juspatronatus vulgo tenent, si quis fundum seu aream, in qua ecclesia aedificetur, tribuat; constructione vero si quis suo sumtu ecclesiam aedificet. Verum rectissime Francis. de Roye & Espenius docent, non sola fundatione aut constructioae juspatronatus adquiri, sed ea, quae ex regulis ecclesiasticis procedit, atque ita etiam dotationem contineat *(a)*. Sane canones fundationis nomine constructionem & dotationem intelligunt, quod pluribus mox citatus de Roye probat: & deinde canones ecclesiam aedificari non permittunt, cui prius satis redituum alendis ministris & sustinendo religionis exercitio non tribuatur *(b)*. Quod si tres ad ecclesiam aedificandam concurrant, quorum unus aream, alter expensas ad aedificationem, tertius vero congruam dotem adsignet, omnibus juspatro-

---

(a) *Franc. de Roye proleg. de jurepatron. cap. XIII., Espen. par. II. tit. 25. cap. 3. n. 5. seqq.*

(b) *Can. XXVI. C. 16. q. 7., can. IX. D. 1. de consecr.*

tronatus adquiritur, nam tres isti ex mente canonum veram fundationem constituunt. Quo sensu Fagnanus (a) illud glossae admittit, *patronum faciunt dos, aedificatio, fundus*. Sed si ecclesia rite aedificata sit & ejus reditus defecerint, tum sola dotis adsignatione juspatronatus adquiritur (b); haec enim liberalitas aequipollet fundationi. Inest autem juspatronatus ecclesiae fundationi, aut dotationi (c), nec necesse est, ut aedificantes aut dotantes illud sibi reservent, modo expresse aut tacite eidem non renuntiaverint.

Item praescriptione.

§. V. Adquiritur quoque juspatronatus praescriptione, seu antiqua possessione (d): qui titulus labentibus annis invaluit. Nimirum postquam in heredes juspatronatus devolutum est, sensim veluti cetera jura hereditaria haberi coepit, atque adeo praescriptioni obnoxium. Sed non semper aequo jure hac in re praescriptio procedit: nam contra patronum praescribitur quadraginta annorum possessione; at contra ecclesiam liberam vetusta possessione, cujus contraria memoria non existat, praesertim si praescribens laicus sit (e): praesumitur enim, omnes ecclesias esse liberas, ac ita non nisi immemorabili possessione servituti sub-

(a) *Fagnan. ad cap.* quoniam *ex. de jure patron. n.* 34. (b) *Trid. sess. XIV. de ref. cap.* 12. (c) *Cap. XXV. ex. de jurepatron. Conf. Franc. de Roye in proleg. ad tit. de jur. patron. cap. XV.* (d) *Cap.* XXIV. *ex. de elect.* (e) *Cap. I. de praescript. in* 6.

subiiciendas. Tridentini patres quoque adgnoverunt, juspatronatus probari ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat (*a*). Quae vero sint multiplicatae praesentationes synodus non expressit; at testatur Franc. de Roye (*b*) sibi per manus traditum esse, tres praesentationes sufficere ad aquirendum juspatronatus contra patronum etiam titulo munitum. Verum si agatur de personis & universitatibus, in quibus praesumi solet usurpatione patronatum fuisse quaesitum, pleniorem probationem ad docendum verum titulum Tridentini patres requirunt, nec immemorabilis temporis possessionem suffragari voluerunt, quam si praeter reliqua ad eam necessaria praesentationes etiam continuatae saltem non minori quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum sortitae sint, authenticis scripturis probentur. Sed hoc decretum, quo jura civium deminuebantur, nec alibi nec apud nos receptum est.

Multi patronatus ecclesiarum donatione adquisiti.

§. VI. Porro multi patronatus ex regum aut episcoporum & pontificum liberalitate originem habuerunt. Nimirum post Carolum Martellum consueverunt principes bona ecclesiastica etiam monasteria & paroecias militibus in feudum aut allodium concedere (*c*). Milites autem

 tam-

(a) *Trid. ses. XV. de ref. cap. 9.* (b) *Franc. de Roye in proleg. de jurepatr. c. XVI.* (c) *Conf. Filesacus in querela ecclesiae Gallic.*

tamquam proprias ſibi datas eccleſias poſſidebant earumque dominos ſe appellabant; & presbyteros etiam inſcio epiſcopo inſtituebant & abdicabant. Interim epiſcopi omni ſtudio eccleſias a manibus laicorum excutere curarunt, & frequentibus ſynodis etiam ſtatutum eſt, ne laici eccleſias concederent. Hinc multi laicorum bonam mentem induerunt, & a ſe poſſeſſas eccleſias monachis aut canonicis ceſſerunt, exortique ſunt multi eccleſiaſtici patronatus: in eccleſiis vero, quas laici retinuerunt, collatio verſa eſt in nominationem. Ipſi quoque epiſcopi & ſummi pontifices eccleſias multas collegiis canonicorum aut monaſteriis ſubjecerunt & adglutinarunt, quo factum, ut in multas eccleſias canonicis & monachis juspatronatus adquiſitum ſit. Huic titulo adfine eſt ſummi pontificis privilegium, quo ex ſtatutis decretalium etiam juspatronatus poteſt adquiri: ex placitis enim poſterioris aetatis plenaria omnium beneficiorum diſpoſitio ad pontificem pertinet (a). Sed ejuſmodi pontificum privilegia non eandem ubique vim habent, praeſertim quando Tridentini patres ejusmodi patronatus videntur abrogaſſe exceptis iis, qui ſuper cathedralibus eccleſiis competunt, qui ad ſummas poteſtates ſpectant, & qui univerſitatibus ſtudiorum conceſſi ſunt (b).

Juspatronatus vel eccleſiaſticum vel laicum eſt.

§. VII. Jam juspatronatus dividi ſolet in ecle

(a) *Cap. II. de praeb. in 6* (b) *Trid ſeſ. XXV. de ref. cap. 9.*

clesiasticum & laicum. Ecclesiasticum ecclesiae seu dignitati adhaeret, illudque exercet, qui illam ecclesiam seu dignitatem tenet. Contra vero laicum ratione proprii patrimonii in ecclesiam collati sive clerico sive laico competit. Quin etiamsi a clerico ex proventibus ecclesiasticis constitutum sit, adhuc censetur laicum, quippe quod ex praesenti disciplina clerici in foro externo reditus beneficiorum ad instar patrimonii suos faciunt, nisi fundator palam edicat, se beneficium ex bonis alterius beneficii, quod tenet, fundare, eique juspatronatus addicat (*a*). Quod si laicus patronatus ecclesiae cedatur, naturam mutat, & ecclesiasticus evadit: nam inde ratione ecclesiae incipit competere: qua ratione plerique ecclesiastici patronatus mediis saeculis exorti sunt (*b*). Ex his duabus speciebus conflatur mista patronatus species, quae partim ratione ecclesiae, partim ratione privati patrimonii competit, veluti si ex duobus laicis patronis alter jus suum ecclesiae cedat. Utriusque naturam & conditionem mistus patronatus induit, & in speciebus obvenientibus ea conditio attenditur, quae patronis magis favet (*c*): modo patroni conjunctim praesentent, litteraeque praesentationis utriusque nomine expediantur; nam si id faciant alternis, quod utriusque patroni jura non misceantur, patronatus simplex censetur, non duplex.

 Item

(a) *Franc. de Roye proleg. ad tit. de jurepatron. cap. VI.* (b) *Conf. Boëhmer jur. ecclesʃ. lib. III. tit.*38.§. 41, *seqq.* (c) *Conf. Fagnan. ad cap.* cum propter *ex. de jurepatron.*

Item reale & personale.

§. VIII. Porro juspatronatus in *reale* & *personale* dividi solet, quorum illud glebae seu fundo adhaeret, illudque exercet, qui fundum tenet; hoc vero certae personae seu familiae competit, nulla alicujus rei habita ratione, diciturque personale non quod cum persona exstinguatur, ad alios transiturum, sed ut ab eo, quod rei inhaeret, distinguatur (a). Quod fundis inhaeret juspatronatus, ab oratoriis & sacellis, quae in villis suis in familiae commodum nobiles fundare consueverunt, originem videtur habuisse: haec enim sacella utpote in commodum villarum seu in iis habitantium exstructa, videntur ex mente fundatorum rebus ipsis adnexa (b). Non erant quidem initio pleraque privata oratoria vera beneficia, & presbyteri, qui a dominis constituebantur, temporaria officia exercebant; at inde in paroecias & vera beneficia abierunt, & jura fundatorum in patronatum versa sunt. Interim illud advertere oportet, quod si patronatus feudo inhaereat, & feudum in ecclesiam transferatur; juspatronatus laicum naturam non mutat, nam ratione feudorum ecclesiae tanquam veri laici reputantur, quod Molinaeus docet (c).

Quibus modis juspatronatus transfertur.

§. IX. Juspatronatus semel quaesitum in alios pluribus modis transfertur. Et primum quidem pa-

(a) *Cap. VII. de jurepatron. cap* XVIII. *ex de senten. & re judic.* (b) *Conf. Espen. par. II t t.* 25. *cap*, 2. *n.* 13. (c) *Molinaeus de infirmis resignantib. n.* 46.

patronatus ecclesiasticus cum officio seu dignitate, cui infixus est, transfertur; at seorsim aliis adquiri non potest, nisi ex forma qua res ecclesiarum solent alienari. Item patronatus rei adhaerens una cum ipsa re ad instar aliorum jurium, quae praediis inhaerent, transfertur, sive dominium plenum, sive semiplenum, quod *utile* appellant, transmittatur, etiamsi in fundi alienatione nulla patronatus mentio injiciatur(*a*). Hinc rescripsit Alexander III., fundo, cui infixus erat patronatus, *ad firmam* locato, praesentationem ad conductorem pertinere (*b*). Nimirum in hac specie locatio *ad firmam* videtur fuisse ad longum tempus & instar emphyteusis seu contractus censualis, quo semiplenum dominium transferebatur (*c*). Et si patronatus fundo dotali inhaereat; ad maritum, qui jure civili dominus dotis habetur, durante matrimonio praesentatio spectat (*d*): receptumque etiam est, praesentationem a bonae fidei possessore factam valere, & inde factam institutionem sustineri, etiamsi fundus postea evincatur (*e*). Sed ubi venditur fundus, cui inhaeret patronatus, ratione illius pretium augeri simoniacum est, multo minus illum seorsim a fundo vendere licet (*f*). Quin ubi coepit praesentatio & collatio beneficiorum inter fructus ecclesiasticos censeri, ex receptiori sententia etiam nominatio ad fructuarium devolvi-tur

---

(a) *Cap. XIII. ex. de jurepatr.* (b) *Cap. VII. ex. eod.* (c) *Conf. Franc. de Roye in cit. cap. VII* (d) *Conf. Espen. part. II. tit. 25. cap. 4. num. 11.* (e) *Cap. XIX. ex. eod.* (f) *Cap. XVI. ex. eod.*

tur. Porro juspatronatus laicum perſonale transfertur cum hereditate ſive legitima ſive teſtamentaria in heredes in ſolidum, etiamſi hereditas inaequaliter dividatur, quia juspatronatus eſt individuum, excepto jure praeſentandi, in quo heredes in ſtirpes, non in capita ſuccedunt *(a)*. Tum vero heredes omnes in patronatum ſuccedunt, niſi fundator in fundationis aut téſtamenti tabulis aliter caverit, & alicui de familia ſive etiam extraneo illum adſignaverit. Patronatus quoque transfertur permutatione cum alia re ſpirituali *(b)*, & donatione ſeu ceſſione, quae ſi eccleſiae vel monaſterio fiat, epiſcopi conſenſu opus non eſt *(c)*.

Quî fiat praeſentatio.

§. X. Jura patronis debita multa ſunt, ſed praecipuum eſt, ut vacante eccleſia ſive beneficio idoneum rectorem ſive clericum epiſcopo aut alteri collatori offerant, idque *praeſentatio* dici conſuevit. Veteri diſciplina, qua beneficia ordinationi erant conjuncta, patroni ad ordinationem miniſtros offerebant; at ſeparatis ab ordinatione beneficiis nominatio ad inſtitutionem ſeu beneficii collationem fieri coepit. Tum vero praeſentatio facta cenſetur, ſi electum miniſtrum collatori patronus ſiſtat. Sed non eſt neceſſe, ut patronus ipſum collatorem adeat, ſatisque erunt litterae nominationis, quas illi deferendas patronus

(a) *Clement. II. de jurepatron.* (b) *Cap. VI. ex. de rer. permut.* (c) *Cap. ult. de jurepatron. in 6.*

nus tradat. Immo jure hodie passim recepto, nulla intelligitur nominatio, nisi quae per authenticas litteras facta sit. Et quoniam praesentatio ad alium refertur, effectum non sortitur suum, nec perfecta est, nisi litterae collatori oblatae sint, sive, ut vulgaris formula habet, *pulsaverint aures ordinarii*. Hinc ante oblatas literas non censetur praesentatio, etsi litterae expeditae sint: patronus sive ecclesiasticus sive laicus a prima praesentatione potest resilire; & summus pontifex patronum ecclesiasticum praevenit.

Tempus ad praesentationem constitutum.

§. XI. Praesentatio autem intra certum tempus facienda est, quo elapso antistites ordinarii jure suo beneficia conferunt. Et olim quidem nullum videtur fuisse tempus nominationi definitum (*a*): interim vero admonebantur patroni, ut quam citius ministros offerrent: & ubi adhuc beneficia ordinationi adhaerebant, videtur ad eorum officium pertinuisse, clericum ordinandum offerre ante tempus ordinationis, quae vacationem proxime sequebatur, quod ex epitome litterarum Hincmari apud Flodoardum constat(*b*) Sed deinceps ne ecclesiae diutius vacarent, synodus Lateranensis sub Alexandro III. edixit, ut si *patroni intra tres menses* exortas de patronatu controversias non finirent, episcopus pro jure suo ecclesiam daret (*c*): quae est germana canonis lectio: non diu vero post isti tres menses sor-

(a) *Conf. Florens in cap. I. & II. ex. de jurepatr.* (b) *Flodoard. lib. III. cap.* 26. (c) *Conc. Lateran. III. can. XVII.*

forte primum librariorum vitio, inde anctoritate pontificum in quatuor abierunt (a). Canon Lateranensis de solis laicis patronis statuebat; at inde occasione cujusdam rescripti Alexandri III. ecclesiasticis patronis sex menses tributi sunt. Immemor fortasse pontifex canonis Lateranensis controversias jurispatronatus, nulla facta distinctione, sex mensium spatio rescripsit definiendas (b). Ne vero pugna esset inter canonem Lateranensem & Alexandri rescriptum, decretalium enarratores illum, prout edicebat, de laicis patronis acceperunt, hoc vero ad solos ecclesiasticos arctarunt: quam interpretationem Bonifacius VIII. reddidit legitimam (c). Et ita receptum laico patrono quatuor, ecclesiastico sex menses dari ad nominandum. Utrumque tempus incipit a die scientiae vacationis, eoque exacto & litteris nominationis non exhibitis ordinarius antistes pro jure suo beneficium confert.

Ubi plures sunt patroni, qui fiat praesentatio.

§. XII. Jam ubi plures sunt patroni ab omnibus nominatio facienda est; verum interest si pluribus, prout collegium constituunt, an seorsim patronatus competat. Si patroni collegium constituunt, quum jus potius collegio quam singulis competat, necesse est, ut praesentatio per collegium fiat, atque ita est species electionis, quae ex regulis ordinariis electionum celebranda est. Et hinc omnes de collegio vocandi sunt, & si

(a) *Cap. III. & XXVII. ex. de jurepatronatus.*
(b) *Cap. XXII. ex. eod.* (c) *Cap. un. §. 1. de iurepatron. in 6.*

si unus negligatur, nominatio irrita erit (a). Si vero pluribus seorsim patronatus competat, tum etiam seorsim eis licet nominare & diverso tempore & pluribus instrumentis, vel eodem instrumento, sed diversis diebus a singulis signato; nec tenentur omnes eundem clericum sistere. Hinc si a singulis unus praesentetur, eorum uni pro jure suo confert ordinarius: at si plures quam duo sint patroni, & pars major unum offerat, hic reliquis praeferendus (b).

Laicus patronus non ecclesiasticus plures praesentat.

§. XIII. Quousque legitimum tempus ad offerendum non impletur, patronus laicus pro jure suo plures unum potest alium post offerre, non item ecclesiasticus, qui unum tantum praesentabit: quae differentia demum Lucii III. rescripto invaluit (c): nam antea patroni omnes aequali jure utebantur, unumque tantum offerebant (d). Conceditur autem id jus patrono laico rebus integris; nam facta institutione frustranea est secunda praesentatio. Verum dum secundum laicus patronus praesentat, primo oblatum rejicere vetatur: idque tertio & deinceps facere potest: nec enim videtur vera Fagnani aliorumque doctrina, quae fert, laicum patronum semel tantum intra quadrimestre posse variare (e). Et

(a) *Conf. Espen. part. II. tit.* 25. *cap.*5. *n.* 37 *seqq.* (b) *Cap.III. ex.de jurepatronat.* (c) *Cap. XXIV. ex. de jurepatron.* (d) *Espen. par II. tit.* 25. *cap.* 5. *n.* 19. (e) *Conf. Claudius Blondeau in biblioth. canon. v.* patronage *n.* 159.

quoniam patronus secundum offerens a primo non recedit, variatio ista doctoribus *cumulativa* audit. Hujus vero inter laicum & ecclesiasticum patronum differentiae ratio ea traditur, quod plus efficaciae ecclesiasticae praesentationi quam laicae insit, illa enim loco electionis seu quasi collationis esse dicitur, non vero ista, nam laicis nullum jus est ad beneficiorum collationem. Ego vero crediderim, laicis datam fuisse plures offerendi potestatem, ut episcopi collatio liberior & jus patroni non adeo efficax evaderet. Quidquid vero hujus rei sit pluribus per successionem praesentatis, integrum est episcopo, uni eorum conferre beneficium.

Lis de jurepatronatus quando impedit nominationem.

§. XIV. Si inter plures oriatur controversia, cui juspatronatus competat, ut ad patroni praesentationem beneficium conferri debeat, intra quatuor aut sex menses pro patroni qualitate finienda est (a): nam eo tempore elapso libere confert ordinarius antistes. Id receptum est contra communes juris regulas, quibus contra *non valentem agere* praescriptio non procedit, ne ex diutina vacatione ecclesiae damnum sentirent. Quod si constet ecclesiam esse jurispatronatus, & inter litigantes de unius nominatione conveniat, tum etiamsi tempore legitimo lis finita non sit; praesentatio est admittenda (b): nullum enim inde in ecclesiam damnum derivatur. Et si lis qui.

(a) *Cap. III. & XXVII. ex. de jurepatronatus.*
(b) *Conc. Oxoniense an. MCCXXII. can V.*

quidem sit inter duos de jure praesentationis, sed alter sit in quasi possessione nominandi, hic indubie poterit praesentare (a). Verum praescripta tempora non procedunt, si lis inter patronum & episcopum sive de ipso patronatu, sive de nominati qualitatibus emergat, & quousque quaestio est, patroni nominatio non praescribitur, idque ne facile sit episcopo excitatis controversiis patronos jure praesentationis spoliare (b).

Nominatio restricta ad solum beneficiarium.

§. XV. Solus autem ecclesiae rector seu beneficiarius patroni nominatione adsumendus est, & praeterea si necessarii sint alii minores clerici ad ecclesiae servitium, ii etiam sine patroni consensu constituuntur: in quo cum antiquis moribus non convenit nova disciplina. Et initio quidem jus videtur fuisse aedificatori, ut quot clerici ad ecclesiae servitium erant necessarii, episcopo ordinandos offerret, quod ex canone Arausicano & Justiniani novellis constat (c). Sed inde etiam patrono inconsulto subsidiarii clerici constituti sunt. Certe ex antiquitatibus probat Franc. de Roye, olim parochis integrum fuisse minores clericos sibi in subsidium adsumere, eisque primam tonsuram & minores ordines dare potuisse (d). Et aetate Innocentii III. jam erat receptum, ut rector paroecialis ecclesiae vel etiam sine consensu patroni quosdam episcopo of-

(a) *Hostiensis ad cit. cap. III.* (b) *Conf. Franc. de Roye ad cit. cap. III.* (c) *Conc. Arausic. I. cau. X.*, *novel. CXXIII. cap.* 18. (d) *Franc. de Roye ad cap. XXX. ex de jurepatr.*

ferret, ut ordinibus receptis ecclesiae suae addicerentur, sibi subsidio futuri (*a*). Non tenetur vero patronus ubi vacaverit ecclesia, aliquem ex minoribus clericis eidem addictis in pastorem nominare. Ceterum si pastor ecclesiae per electionem adsumendus sit, patronus non habet jus nominandi, sed rectius factae electioni adsentitur, nisi in fundatione ex legitima auctoritate aliud cautum sit, quam exceptionem ex obscuro Clementis III. loco Franc. Florens proponit (*b*). Sed ubi patronus tantum electioni consentit, jus patronatus potiori jure mancum est.

Nominari debent idonei, & indigni repelluntur.

§. XVI. Qui autem a patrono offertur instituendus, idoneus obtinendo beneficio esse debet; pertinetque profecto ad patroni officium, ut optimi quique beneficiis augeantur: hac enim fiducia patronis ecclesia nominationem concessit, quod illi sollicitiores esse videbantur, ut suae liberalitatis monumenta aequius melius regerentur (*c*). Idoneus autem ille censetur esse, qui conditiones habet a canonibus ad beneficia adquirenda praescriptas & in fundatione beneficii adpositas. Et ut nemo se intrudendi habeat occasionem, satis prudenter cautum, ut patronus, licet idoneus, seipsum offere non possit (*d*). Ut vero constet, nominatum esse idoneum, in ejus qualitates pro jure suo episcopus inquirit: nisi ab uni-

(a) *Cap. XXX. ex. de jurepatr.* (b) *Cap. XXV ex. eod. Franc. Florens de jurepatronat.* (c) *Conc. Tolet. IX. can. II.* (d) *Cap. XXVI. ex. de jurepatronat.*

universitatibus studiorum praesentario fiat (a): Quod si examine instituto nominatus idoneus non reperiatur, collator eum a beneficio repellit (b); modo palam constet, candidatum esse indignum (c): nam si hac in re solius collatoris judicio standum sit, patroni juribus suis dubio procul exciderent; antistites enim semper caussari possent, nominatos non esse beneficio dignos. Hinc ab judicio collatoris candidatum veluti indignum rejicientis locus est appellationi (d). Ubi nominatus tanquam indignus rejectus est, patronus ecclesiasticus pro ea vice nominatione cadit, & pro jure suo ordinarius antistes beneficium confert; non vero laicus, qui etsi indignum nominaverint, non vetatur alios offerre. Quae distinctio novitatem sapit; nam ex veteri disciplina omnes patroni indignum nominantes jure suo pro ea vice excidebant, quod Franc. de Roye recte observat (e).

Nulla est institutio praeter patroni consensum.

§. XVII. Praesentatione intra tempus legitimum a patrono facta, tenetur ordinarius antistes beneficium dare praesentato; quae est collatio minus libera, quae stricto sensu dicitur *institutio*. Et si praeter patroni nominationem beneficium detur, institutio nulla est: nominatus enim per praesentationem jus ad beneficium adqui-

(a) *Novel. LVII. cap. 2., Trid. sess. VII. de ref. cap* 13. (b) *Cit. can. II. conc. Tolet.* (c) *Cap. reg. Francor. lib. V. cap.* 178. (d) *Garzias de benef. par. X. cap.* 4. §. 9. (e) *Franc. de Roye ad cap. XXIV. de jurepatron.*

quirit. Quin ubi beneficia adhaerebant ordinationi, si praeter patroni sententiam clerici ordinabantur, ipsa ordinatio irrita censebatur. *Quod si superstitibus fundatoribus*, inquiunt patres Toletani (a), *rectores ibidem episcopus praesumserit ordinare, ordinationem suam irritam noverit esse*. Scilicet veteres tenebant, ecclesiam certas conditiones ordinationi addicere posse, quibus non servatis nullius effectus illa habebatur (b). Tum vero nulla est beneficii collatio, si invito patrono fiat; nam si non impleto adhuc ad nominationem tempore ordinarius antistes beneficium conferat, & patronus saltem tacite adsentiatur, nec interim alium offerat, institutio sustinetur: idque ea ratione docent interpretes, quod etiam currente nominationis tempore inest ordinariis collatoribus, licet obstricta, conferendi potestas: & hinc dum patronus jure suo non utitur, firma manet antistitis collatio (c). Contra vero est, si metropolita currente adhuc tempore ad beneficia conferenda statuto ordinarium collatorem praeveniat & beneficium conferat; collatio enim nulla censetur, etsi postea devolutio fiat, quod metropolitae nullum jus conferendi nisi ex jure devoluto competat.

Patronis pauperibus ecclesia debet alimenta.

§. XVIII. Jure praesentationis satis explicato ad reliqua jura sive utilia sive onerosa sive honorifica, quibus patroni aucti sunt, progrediamur

---

(a) *Conc. Tolet. IX. can. II. ap. Grat. can. XXII. C.* 16. *q.* 7. (b) *Conf. dicta part. I. cap.* 29. (c) *Espen. par. II. tit.* 25. *cap.* 5. *num.* 26.

mur. Et ad utilia jura quod spectat, patroni ad inopiam redacti ab ecclesiis, quas fundarunt aut dotarunt, jure exigunt alimenta, eaque ecclesia veluti vicem rependens praebet. Pauperes omnes amplectitur & alere debet ecclesia, at patronis etiam beneficia rependit. *Praebendum est a sacerdotibus*, inquit synodus Toletana IV. (*a*) *vitae solatium indigentibus, & maxime his, quibus restituenda vicissitudo est*. Hinc patet, non omnibus patronis jurepatronatus deberi alimenta, sed illis tantum, qui ecclesiam fundarunt vel bonis auxerunt, etsi ea de re patronus nihil sibi suisque stipulatus sit, vel juri nominandi renuntiarit (*b*). Nec satis officio suo facit ecclesia, si eadem liberalitate, qua ceteros pauperes, patronos complectatur: convenitque inter interpretes, patronis pro eorum conditione & ecclesiae facultatibus alimenta esse praestanda. Porro etiam extra necessitatem in fundatione potest patronus sibi suisque immo extraneo reservare annuam pensionem (*c*), quae ab episcopo probata & admissa recte exigitur.

Jus patroni ad tuendam ecclesiam.

§. XIX. Illud vero oneris patronis incumbit, ut summa vigilantia ecclesias tueantur, & provideant, utrum beneficiarii ex ecclesiae sententia sacros proventus administrent. Sane synodus Toletana IV. ecclesiarum fundatoribus eorumque propinquis concessit potestatem ad synodum pro-

vo-

(a) *Can. XXX. C. 16. q. 7.* (b) *Conf. Espen. par. II. tit. 25. cap. 6. n. 8.* (c) *Cap. XXIII. ex. de jurepatron., cap. XVI. ex. de censib.*

vocandi, ubi episcopus praeter tertiam redituum partem, quae ex Hispaniae disciplina illi debebatur, aliquid amplius sibi vindicaret, aut novas exactiones reditibus imponeret (*a*). Et synodus Toletana IX. fundatoribus eorumque heredibus dedit, ut si beneficiarii inferiores ecclesiae reditus minus recte administrent, eos aut admoneant amice, aut episcopo vel judici denuntient: & si simili vitio episcopus laboret, metropolitam adeant, contra metropolitam vero regem ipsum interpellent: *si metropolitanus talia gerat, regis haec auditibus intimare non differant* (*b*). Sunt nempe reges ecclesiae defensores, eorumque est tueri canones & ecclesiasticam disciplinam. Patronis autem data est sollicitudo in bona ecclesiarum eorumque administrationem, postquam innotuit, rectores ecclesiarum non ex canonum sententia reditus procurare. Nec sane aliis haec vigilantia poterat demandari, quam quibus magis curae erat, ut suae vel suorum liberalitatis monumenta bene regerentur. Nec tantum circa bona temporalia, sed & circa officium divinum aliaque ex lege fundationis peragenda se extendit patronorum sollicitudo (*c*). Statuerunt quidem Tridentini patres, ne patroni se ingerant sacramentorum administrationi, nec visitationi ornamentorum ecclesiae, aut ejusdem

(a) *Conc. Toletan. IV. can. XXXII. ap. Grat. can LX. C. 16. q. 1* (b) *Conc. Tolet. IX. can. I.* (c) *Conf. Franc. de Roye in proleg. de jurepatron. cap. XXVII.*

dem proventibus se immisceant (*a*); sed hoc interdictum non convellit sollicitudinem patronis ab antiquis canonibus datam, tantumque eo spectare videtur, ne illi tuitionis praetextu ecclesiarum rectores in divinis officiis celebrandis turbent, & redituum procurationem usurpent(*b*).

Honor processionis *patronis debitus*.

§. XX. Demum patronis, qui fundarunt aut dotarunt ecclesiam, debentur jura quaedam, *honorifica* canonistis dicta, idque etsi illi renuntiarint praesentationi. Sunt jura honorifica signa quaedam honoris & reverentiae, quibus patronos suos ecclesia colit, eaque saeculi pompam non redolent, sed simul honorem designant, & pietatem prae se ferunt. Olim non erant determinata, sed in nova disciplina haec passim recepta sunt, honor *processionis*, *precum*, *thuris*, *sedis*, *aquae benedictae*, *panis* itidem *benedicti* & *sepulturae*. In antiquis canonibus *aditus processionis*, *qui christianis omnibus debetur*, ecclesiae aedificatori tribuitur (*c*), at processio ista nil praecipui continebat, sed erat liber aditus in ecclesiam sacrae synaxis tempore, quod cardinalis Bona observat (*d*); procedere enim generatim denotat domo exire, & aliorsum se conferre; atque adeo aditus processionis non alius erat quam in ecclesiam ingressus. At lapsu temporis

 pro.

(a) *Trid. sess. XXIV. de ref. cap.* 3. (b) *Conf. Espen. par. II. tit.* 25. *cap.* 6. *num.* 22. (c) *Can. XXVI. seq. C.* 16. *q.* 7. (d) *Card. Bona lib. II. rer. liturgic. cap.* 32. *n.* 1.

processio ista relata est inter jura honorifica (a), ex mala fortasse vocis interpretatione. Duobus vero modis processio potest exhiberi, uno ut clerici in processionem digesti patrono in ecclesiam venienti occurrant, eumque excipiant & in ecclesiam deducant; altero ut honoratior locus in sollemni pubblicaque processione eidem concedatur. Sed sollemnis occursus tum debet exhiberi, si patronus talis est, qui eum honorem mereatur, puta si rex aut magnus princeps in ecclesiam veniat.

Explicantur reliqua jura honorifica.

§. XXI. Porro patronis exhibendus honor precum, qui in eo est, ut patroni nomen inter publicas preces nominatim recitetur: quod est ex antiqua ecclesiae disciplina, qua nomina eorum, qui eximia munera alteri obtulissent, Deo sigillatim solebant commendari. Honor thuris facit, ut thuris suffimen in publicis functionibus patrono speciatim exhibeatur. Honor aquae benedictee in eo consistit, ut in ejus adpersione praecipuae patroni ratio habeatur; itemque honor panis benedicti facit, ut patronus ante alios omnes laicos eum accipiat & offerat. Honor sedis defertur, si patrono perpetua & fixa sedes in ecclesia constituatur, quae eo honoratior censetur, quo est proximior sanctuario. Et demum honor sepulturae eo spectat, ut patroni honoratiore ecclesiae loco sepeliantur. Inter jura quoque honorifica censendum est stemma gentilicium, quod patronus in ecclesia juris-

pa.

(a) Cap XXV. ex. de jurepatron.

patronatus affigit; ſed in patronatu eccleſiaſtico eccleſiae potius, cujus eſt patronatus, quam patroni inſignia affigenda ſunt. Generatim vero de juribus honorificis id tenendum eſt, ea praeſertim deberi veluti in compenſationem munificentiae & liberalitatis, quam in fundandis eccleſiis patroni exhibuerunt: & hinc debentur, etiamſi patronatus nominationi renuntiaverit: nec recte qui ex incorporatione eccleſiarum patronatum habent, jura honorifica, niſi ex ſpeciali titulo, ſibi vindicant. Praeterea in his ſignis honoris exhibendis eccleſiarum mores oportet obſervare, tum quod ſpectat exhibitionis modum, tum perſonas, quibus praeſtantur. Plura de juribus honorificis habet Franc. de Roye, qui duos libros ea de re ſcripſit.

Juspatronatus quibus modis finitur.

§. XXII. Juspatronatus ſemel quaeſitum pluribus modis perire poteſt. Et primo quidem finitur expreſſa fundatoris renuntiatione (*a*): item praeſcriptione ordinarii, dum nempe vacantem eccleſiam nulla facta intra legitimum tempus nominatione pleno jure contulit, & inde quadraginta anni effluxerint: & hoc facilius admittitur, quaſi res ad ſuam naturam aut ad jus commune revertatur, quo omnes eccleſiae ſunt in plena epiſcopi diſpoſitione. Finitur quoque patronatus eo mortuo, cui ſoli donatum fuerat, aut exſtincta gente vel familia, cui fuerat adſignatum, aut ſi eccleſia penitus corruerit, ita ut nec aedes ipſae remaneant. Item in poenam perit

 pa-

(a) *Cap. V. ex. de conſuetud.*

patronatus si patronus ecclesiae rectorem aut ejusdem clericum violenter adgrediatur, aut occiderit (a); si patronatum separatim vendiderit (b), aut in haeresim inciderit (c). Quod si patronus excommunicatus sit, quousque extra ecclesiam manet, haud potest praesentare, & interim ordinarius antistes pro jure suo confert (d).

CAPUT LI.

Quibus beneficia conferenda.

Laici beneficiorum incapaces.

§. I. Quousque beneficia adhaeserunt ordinationi, canones de ordinandorum qualitatibus solliciti fuerunt, & vix quidquam habent, quo aetas & reliquae beneficiorum qualitates statuantur. At separatis ab ordinatione beneficiis, necesse fuit alias condi regulas, quibus beneficiariorum qualitates praescriberentur; idque quod beneficiis passim augeri solerent, qui adnexis ministeriis impares essent. Ac primum quidem laicis non recte conferuntur beneficia: quî enim laici sacra ministeria recte possunt obire? *Ministerium aut beneficium*, inquit synodus Turonensis (e), *nonnisi clericos habere sanctorum*

(a) *Cap. XII. ex. de poenis*. (b) *Trid. sess. XXV. de ref. cap. 9.* (c) *Cap. X. & XIII. ex. de haeret.* (d) *Conf. Franc. de Roye in proleg. de jurepatronat. cap. 38.* (e) *Conc. Turonense an. MLX. can. I.*

rum patrum sancivit auctoritas. Quod si in antiquis monumentis occurrat, laicis pauperibus aut peregrinis aut etiam militibus beneficia data; beneficia ista nullum habebant ecclesiasticum ministerium; sed erant vineolae aut terrulae, quae ad usum & veluti in eleemosynam pauperibus concedebantur; aut erant praedia, quae propter militiam principibus aut ecclesiae exhibendam dari consueverant: quae praedia *beneficia* veteribus dicebantur (*a*). Tantum ex lege fundationis consensu ecclesiae probata potest laico patrono praebenda vel dignitas ecclesiastica reservari, ut apud nos exemplo esse potest basilica S. Nicolai Bariensis, in qua prima thesaurarii dignitas & canonicalis praebenda regibus Apuliae a Carolo II. Andegavensi reservata est (*b*). Sed ad beneficia jurispatronatus recte etiam laicus offertur, modo quatuor vel sex mensium spatio patronis ad nominandum indulto clericus & capax fiat, alias irrita erit praesentatio (*c*).

Beneficia saecularia clericis, regularia monachis danda.

§. II. Quae cum ita sint, tantum clericis & monachis beneficia conferri oportet, eo tamen discrimine ut saecularia clericis, regularia regularibus conferantur (*d*), praesertim si regularia beneficia regimen aut disciplinam monasticam spectent. Sane vita clericalis spectat spiritualem

si.

(a) *Conf. Cang. v.* beneficium. (b) *Conf. Beatill. lib. III. Barensis*. (c) *Card. de Luca de jurepatron. disc. XLV. n.* 7. (d) *Conf. Espen. par. II. tit.* 17. *cap.* 3. *n.* 11.

fidelium curam & ministeria ecclesiastica : atque adeo clerici, etsi a saeculi turbis alieni, in civitate hominumque frequentia vivere debent. Contra vita monastica quieti & silentio mancipatur, & addicta solitudini a civitatum frequentia abborret. Hinc nec clericis beneficia regularia, nec monachis saecularia conveniunt: & utrique propriis ministeriis contenti ab alienis abstineant oportet. Et si Tridentini patres statuant, ut regularia beneficia in titulum regularibus *provideri consueta* religiosis tantum illius ordinis aut illis, qui ejusdem ordinis professionem debeant emittere, conferantur (*a*): beneficia ista disciplinam monasticam spectare non videntur, sed potius sunt beneficia regularibus addicta, quod sacra congregatio docuit (*b*). Regulae itaque traditae convenienter tenent interpretes omnes, saecularia beneficia, quibus nulla subest cura animarum, ex recepta disciplina sine pontificis indulgentia regularibus conferri non posse (*c*). Verum an similiter opus sit pontificis indulgentia, an tantum jure ordinario ex venia suorum praelatorum possint monachi & canonici regulares ad paroeciales curas promoveri, interpretes disputant. Interim Benedictus XIV caussa cognita decrevit, nec canonicos regulares Lateranenses nec sanctissimi Salvatoris absque apostolico indulto saecularibus beneficiis cu-

(a) *Trid. ses. XIV. de ref. cap.* 10. (b) *Conf. Fagnan. ad cap.* cum caussam *ex. de elect.* (c) *Cap. X. ex. de regularib. V. Fagnan. ad cap.* quod Dei timorem *ex. de statu monachor.*

cujusque generis augeri posse (*a*).

Quae aetas idonea ad beneficia.

§. III. Qui autem ex eo genere personarum sunt, quibus canones collata volunt beneficia, pluribus aliis qualitatibus praediti sint oportet. Principio beneficiarius debet esse aetate legitima: variis enim canonibus aetatem ad beneficia obtinenda idoneam praescripsit ecclesia, quod eorum collatione ab ordinatione sejuncta, statim aetate impares obeundis sacris ministeriis, etiam pueri adhuc sub ferula agentes, beneficiis imo primoribus dignitatibus aucti sunt (*b*). Statuit itaque synodus Lateranensis sub Alexandro III., ut decani, archidiaconi & paroeci non creentur, nisi qui vigesimumquintum aetatis annum attigissent (*c*). Inde generatim episcopo Argentinensi rescripsit Gregorius IX, pueros, qui non possunt ecclesiae deservire, non esse idoneos ad beneficia reputandos (*d*). Et Paulus III. edita cancellariae regula quatuordecim annorum aetate sufficere voluit ad praebendas in ecclesiis cathedralibus adipiscendas, decem in collegiatis inferioribus, & septem ad capellanias & simplicia beneficia: qua regula statutos annos impletos esse oportet. Rem vero perfecisse videntur Tridentini patres, qui innovato concilii Lateranensis canone addiderunt insuper, ut ad dignitates & personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici *vigintiduobus anni non minores*, hoc

(a) *Bened. XIV. bul.* quod inscrutabili CXXXV
(b) *S. Bernardus XLII.* (c) *Cap. VII.* §. 2. *ex. de elect.* (d) *Cap. XXXV. ex. de praeb.*

hoc est majores, promoveantur (a) simplicibus vero beneficiis, atque adeo canonicatibus, obtinendis satis esse quatuordecim annos incoeptos (b), nisi canonicis incumbat onus, quod ordinem sacrum requirat: nam in hac specie necesse est, ut in ea aetate sint, qua intra annum possint sacris ordinibus initiari (c). Sic statuta ad obtinenda beneficia aetas nihil commune habet cum aetate ad ordines necessaria: & hinc qui ex indulgentia ante annum XXV. presbyter creatus est, adhuc incapax ad paroeciales curas censetur. Ceterum Tridentinus canon de simplicibus beneficiis (nescio an recta interpretatione) ita acceptus est, ut in beneficiis antiquis, hoc est ante ejus synodi publicationem fundatis, praesentari & instituti valeant clerici septennio majores, at in aliis postea fundatis nonnisi qui quatuordecim annorum sunt. Quae praxis apud nos pactis conventis restricta est ad eos, qui coguntur ad ordines suscipiendos ratione beneficii, ad quod fundationis tabulis vocantur (d).

De ordine beneficiis adnexo.

§. IV. Porro qui beneficiis donantur, certo ordine debent esse initiati, aut quam primum initiari. Nimirum quod separatis ab ordinatione beneficiis evenire solebat, ut illa darentur clericis, qui necessario ad beneficium ordine non erant initiati, condi necesse fuit canones, qui beneficiarios ad ordines beneficiis adnexos su-

(a) *Trid. sess. XXIV. de ref. cap.* 12. (b) *Trid. sess. XXIII. de ref. cap.* 6. (c) *Trid. sess. XXII. de ref. cap.* 4. (d) *Concor. cap. IV. art.* 5.

ſuſcipiendos cogerent. Et quidem Alexander III. in concilio Lateranenſi ſtatuit, ut ſi archidiaconi, decani & paroeci admoniti *praefixo a canonibus tempore* ordinati non ſint, ſuis beneficiis priventur (*a*). Tempus iſtud a canonibus praefixum, ut ego opinor, videtur fuiſſe tempus ordinationis, quod collationem proxime ſequebatur; nec enim tum ulli videntur fuiſſe canones, qui tempus ſuſcipiendo ordini beneficiariis praefigerent. Sed poſteriores canones tempus hoc annum eſſe voluerunt, & ſimul extenderunt regulam ad omnia in cathedralibus & collegiatis eccleſiis beneficia, quibus certi ordines ſunt adnexi (*b*). Incipit autem annus ſuſcipiendis ordinibus dictus ex decreto ſynodi Lugdunenſis ſub Gregorio X. a die *commiſſi regiminis*; at ex interpretatione Bonifacii VIII. currit a tempore, quo beneficiarius habet *poſſeſſionem pacificam*, aut per eum ſtetit, quo minus haberet, modo juſta cauſſa ordinationem non impedierit (*c*). Jam ubi praefixo a canonibus tempore beneficiarius admonitus non ordinabatur, ex canone Lateranenſi ſententia judicis beneficio erat exuendus; at ex Lugdunenſi decreto ſi beneficium paroeciale ſit, ipſo jure parochus, nulla etiam praemiſſa monitione, cadit paroecia, ſi intra annum presbyter non ordinetur (*d*): a qua regula Bo-

(a) *Cap. VII. §. 2. ex. de elect.* (b) *Cap.XIV. de elect. in 6., Clement. II. de aetate & qualit.ordinandor., Trid, ſeſ. XXII.de ref.cap 4.* (c) *Cap. XXXV, de elect. in 6.* (d) *Cit. cap. XIV.*

nifacius VIII. excepit collegiatas ecclesias, etsi paroeciales fuerint, in quibus canonem Lateranensem servari voluit (a). Haec omnia vera sunt ex generalibus decretalium regulis; nam ex fundatione aut ecclesiarum moribus saepe certus ordo beneficiis actu adnexus est; quo casu adnexus ordo collationem praecedere debet (b).

Quae scientia ad adquirenda beneficia requiritur.

§. V. Necessaria quoque est in iis, qui beneficiis augentur, scientia, quae functionibus beneficio adnexis respondeat. *Litteris carens sacris non potest esse aptus officiis*, inquit Gelasius papa (c). Quum vero non omnia ecclesiae ministeria ejusdem ponderis & industriae sint, non aequalis ad omnia beneficia scientia desideratur. Ars artium a patribus merito dicta est cura animarum, ac inde in conferendis curis paroecialibus tales seligendi, qui eminenti rerum divinarum & sacrorum canonum scientia & simul summa prudentia praediti sint, praesertim si frequentis populi & cleri cura committatur. Non minor fortasse scientia necessaria est in dignitatibus & canonicis ecclesiae cathedralis, qui ex praesenti disciplina ecclesiae senatum, cujus adjutorio & consilio episcopus regere ecclesiam debeat, constituere censentur. Hinc exoptavit Tridentina synodus, ut dignitates omnes & saltem dimidia pars canonicatuum in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis insignibus scientia praeeminentibus viris, qui academicis theolo-

giae

(a) *Cap. XXII. eod. in 6.* (b) *Conf. Espen. par. II. tit. 19. cap. 2.* (c) *Can. I. D. 36.*

giae & juris canonici gradibus fulgerent, confeferantur (a). Item voluit eadem synodus, ut archidiaconi in omnibus ecclesiis, ubi fieri potest, & poenitentiarius aliquo ex iisdem gradibus academicis aucti sint (b): quo decreto non comprehendi archidiaconos, quibus nulla animarum cura adhaeret, S. C. declaravit (c). Scilicet ex ecclesiae & reipublicae sententia gradus academici censentur publica & vera testimonia, quibus de doctrina & eruditione constet. Et dolendum profecto est, quod corruptis jamdiu moribus gradus isti ferme in commercium abierint, nec amplius iis credi possit: qua de re viri sapientes merito querunt (d). Ceterum qualitates istae graduum academicorum ab jure vel statutis locorum vel fundationibus requisitae regulariter in praxi tempore collationis non requiruntur, sed sufficit, ut eas infra annum beneficiarii consequi possint.

Irregulares & excommunicati beneficiorum incapaces.

§. VI. Jam incapaces ad obtinenda beneficia sunt clerici a canone alieni, veluti digami, filii haereticorum, eisdemque faventium ad secundum in linea paterna gradum, in materna tantum ad primum, si parentes in haeresi decesserint (e), gravioris criminis rei, in primis simoniaci, caeci, qui horas canonicas recitare non valent, &

 na-

(a) *Trid. sess. XXIV. de ref. cap.* 12. (b) *Trid. loc. cit. & cap.* 8. (c) *Ap. Gallemar. in declar. ad cit. cap.* 12. (d) *Petr. Tholosan. lib. XVIII. de rep. cap.* 9. *n*: 6. (e) *Cap. II. & XV. de haeret. in* 6.

nati ex injustis nuptiis (a), quibus tamen ad minores ordines & simplicia beneficia potest episcopus veniam indulgere (b). Sed si filii illegitimi clericorum sunt, nec ex venia episcopi consequi possunt aliquod beneficium sive officium in ecclesia, ubi eorum patres aliquod beneficium obtinent aut obtinuerint, idque ut a locis Deo dicatis paternae incontinentiae memoria longe arceatur (c). Ceterum nepos legitimus ex filio illegitimo non vetatur in eadem ecclesia, qua avus, ministrare, aut beneficium consequi, quod pluries S. Congr. respondit (d). Porro incapaces sunt beneficiorum excommunicati aliave ecclesiastica censura irretiti, donec ejus vinculo solvantur (e).

Filii presbyterorum incapaces ad paterna beneficia.

§. VII. Filii quoque presbyterorum etiam legitimi, hoc est ante patris ordinationem ex illis nuptiis suscepti, vetantur obtinere beneficia, quae eorum pater nulla persona intermedia obtinuerit. Invaluerat praesertim in Anglia post saeculum decimum, ut filii presbyterorum patri in beneficiis succederent; quod facile poterat evenire, ubi beneficia non amplius sportulis, sed latifundiis & perpetuis reditibus con-

sta-

(a) *Cap. ult. ex. de filiis presbyter.* (b) *Cap. I. eod. in 6.* (c) *Cap. XV. ex. eod. Trid. sess. XXV. de ref. cap.* 15 (d) *Ap. Bened. XIV. de synodo dioeces. lib.* XIII. *cap*, 29. (e) *Cap. XXVI. ex. de rescript. & cap. VII. ex. de clerico excomm. ministrante.*

ſtabant. Hinc ad exſtirpandas ab eccleſia hereditarias ſucceſſiones ſynodus Londinenſis anno MCII. ſtatuit, *ut filii presbyterorum non eſſent herêdes eccleſiarum patrum ſuorum*. Et Alexander III. reſcripſit, filios presbyterorum, ſive genitos in ſacerdotio ſive non, ſtatim ſpoliari eccleſiis, quas eorum patrês vel tanquam perſonae vel vicarii ἀμέσως poſſederant (a).

Item clerici conjugati incapaces beneficiorum.

§. VIII. Item clerici conjugati incapaces ſunt ad conſequenda beneficia, adeo ut ſi apud Latinos quis ex clericis minoribus nuptias contrahat, cadat beneficio, quod antea obtinuiſſet. Veteri Latinorum diſciplina ubi majoribus clericis indicta eſt continentia etiam ab uxoribus, quas ante ordinationem duxerant, conjugati ad majores ordines promoti & eccleſiis miniſtrabant, & de bonis eccleſiaſticis vivebant. Et minores clerici, qui ad nuptias convolabant, & ſuis utebantur uxoribus, & eccleſiae ſervitio addicti in partem etiam redituum veniebant. Reditus eccleſiarum tum manualibus ſportulis tribuebantur, nec bonis ipſis, quae ab epiſcopo, diaconorum aut presbyterorum aut oeconomi miniſterio adminiſtrabantur, aliquid a clericis conjugatis timendum erat. Sed inde ubi ſacris miniſteriis copia fundorum perpetuo acceſſit, quorum fructus ipſi beneficiarii perciperent, conjugati ſubmoti ſunt a beneficiis (b), quod bona ipſa diſperderent, & id ſtuderent unum, ut

(a) *Cap. XI. ex. de filiis praesbyter.* (b) *Cap. I. & V. ex. de cleric. conjug.*

ut ea veluti hereditaria successione in filios devolverentur. Et quamvis initio simplex beneficium sine administratione retinere potuerint (a), tamen deinceps ad omnia beneficia inhabiles facti sunt.

Peregrini ejecti a beneficiis.

§. IX. Porro ex regnorum & ecclesiarum statutis seu moribus aut lege fundationis in conferendis beneficiis spectandae sunt nonnullae qualitates; quarum defectus a beneficiis excludit. Et quidem multarum gentium statutis aut receptis moribus beneficia nisi ejusdem regni aut provinciae civibus conferre non licet. Ex veteri disciplina ut plurimum ejusdem ecclesiae clerici ad majores in ea gradus promovebantur (b), quae regula optima erat, eoque spectabat, ut optimi quique ad altaris ministerium eligerentur, nisi prorsus egregia essent peregrinorum merita, aut indigenae nulli satis idonei reperirentur. Sed labentibus annis, praesertim ubi mandata pontificum evaserunt frequentiora, & eorundem relevationes multiplicatae sunt, passim peregrini in alienis ecclesiis & regnis beneficia occuparunt. Eo etiam contulerunt placita posterioris aetatis, quibus clerici ecclesiae Romanae ubique terrarum tanquam in propria patria versari censebantur (c). Promoti autem ad beneficia extranei, quod linguam &

(a) *Cap. II. eod. in* 1. *collect. ap. Ant. August.*
(b) *Caelestinus papa ep. II. ad episc. Narbonens., Leo M. ep. LXXXIV. ad Anastas.* (c) *Conf. Thomass. par. II. lib. I, cap.* 103. *n.* 9.

& mores patrios plerunque ignorarent, vix utiles ecclesiis, saepe principibus suspecti erant; quin id potissimum studebant unum, ut ecclesiarum suarum dispendio locupletarentur. Hinc multorum regnorum statutis peregrini & qui non erant ejusdem regni, a beneficiis ejecti sunt. Et apud nos demum Carolus VI. beneficia & pensiones hujus regni tantum ejusdem civibus rescripsit conferenda. At posteriora ista statuta potius regimini politico, quam ecclesiae videntur consuluisse; atque adeo longe distat a sanctioribus patrum regulis, quae ex ejusdem ecclesiae sinu clericos attolli ad majores gradus praecipiebant. In quibusdam quoque ecclesiis inter canonicos tantum cooptantur genere nobiles: quod institutum praesertim in Germania viget. Et non desunt beneficia, quae ex lege fundationis tantum certis clericis, veluti qui sunt de fundatorum familia, conferri debent.

Beneficia conferenda dignioribus.

§. X. Ex pluribus autem clericis, qui nullis canonicis impedimentis detineantur, digniori conferri beneficium oportet; peccantque profecto graviter collatores, qui posthabitis dignioribus dignos beneficiis augent, quod passim saniores theologi & canonistae docent (a). Sane beneficiorum collatio utilitatem & ecclesiae commodum spectare debet; at quo digniores sunt pastores & beneficiarii, eo melius ecclesia administratur & in virtutibus proficit; optimorum enim

(a) *Conf. Espen. par. II. tit. 31. cap. 2.*

enim ministrorum exemplo ad justitiam & sanctitatem mores christianorum componuntur. Praeterea qui digniores sunt, ad amussim implent sibi commissa ministeria: quo fit, ut omnia rite & ordine in ecclesia procedant, & animarum cura felicius explicetur. Hinc qui posthabitis melioribus dignos ad beneficia promovent, architecto similes sunt, qui non marmoreae columnae, sed potius lignae imponit aedificium. Nec tantum melioribus danda beneficia, quibus inest animarum cura, verum etiam simplicia: nam etiam haec dantur propter sacrum ministerium, quod quo rectius impletur, eo magis ecclesiae utilitas procuratur. Ille vero dignior censeri debet, qui prae aliis secundum praesentem rerum statum ecclesiae utilior esse valeat (a). Quod si jure decretalium ratae sint collationes dignis factae, & collatores poenis tum subjiciantur, si indignos beneficiis auxerint, aut elegeriut (b); id quidem spectat forum externum ad evitandas lites; nam si collationes dignis factae rescindi possent, nulla profecto esset collatio, quae non vocaretur in judicium: at hinc non sequitur, recte agere collatores, qui minus dignos praeferunt: quae S. Thomae, Fagnani, Thomassini & doctiorum theologorum & canonistarum doctrina est (c).

(a) *Conf. S. Thomas* 2. 2.*q*.63.*art*. 2. (b)*Cap. XXIX. ex. de praeb.*, *cap.VII. de elect. in* 6.
(c) *S. Th. loc. cit.*, *Thomass. par.II. lib. I. cap.* 40. *n.* 3.

Paroeciae sollemni examine conferendae.

§. XI. Verum quidem est, jure decretalium non rescindi collationes dignis factas; at quod spectat paroeciales curas, inexorabili lege collatores Tridentina synodus adstrinxit, ut eas dignioribus conferant. Et quo melius dignior innotescat, sollemni examine, quod *concursum* vocant, paroecias omnes, etsi reservatas vel affectas, dandas edixit, nisi admodum exigui reditus sint, aut nemo sit, qui examini se sistat, aut in locis sint apertae factiones, quae in tumultus evaderent; quibus casibus concessum episcopo privatum examen instituere. Interesse vero debent examini episcopus ipse, aut, eo impedito, vicarius generalis & examinatores synodales saltem tres, qui doctrinam, mores, vitam candidatorum explorent, & inde renuntient quotquot idoneos judicaverint, ex quibus judicio episcopi seligendus dignior, eique ab eo cujus est conferre, paroecia danda est. Quod si paroecia sit jurispatronatus ecclesiastici, & institutio ad episcopum pertineat, patronus ex probatis digniorem ei sistere tenetur: si vero alterius sit institutio, episcopus digniorem designabit, quem patronus institutori praesentet. Sed si patronatus sit laicus, a patrono oblatus examini subjiciendus, qui ubi idoneus reperiatur, admittendus est (a). Canon iste Tridentinus judicio episcopi standum praecipit, nec appellationem admittit. Inde Pius V, sacra congregatio concilii Clementis XI jussu & novissime Benedictus

(a) *Trid. sess. XXIV. de ref. cap.* 18.

XIV exactiorem formam examini instituendo proposuerunt, multa innovarunt, dederuntque etiam facultatem ab irrationabili examinatorum & episcopi judicio provocandi, non impedita tamen exsecutione praelectionis ab antistite factae (a). Sed Pii constitutio, quod jura patronatus deminueret, & in collationibus devolutis ad sedem apostolicam, vel devolvendis vi ejusdem constitutionis sollemne examen remitteret, nec alibi, nec apud nos recepta est. Quin nec apud nos amplius admittuntur collationes in forma *dignum*, ut dicitur, quibus summus pontifex resignatas in favorem paroecias remisso sollemni examine conferre solet.

☞ *Cum Panormitanae Ecclesiae Paroeciae ex Clementis VIII Constitutione, quae pro reformatione Parochiarum edita fuit, Juri Patronatus Senatus Panormitani subjiciuntur, earum Pastores non concursu, sed Patronorum praesentatione praevio tamen ipsius praesentati examine ab Examinatoribus Synodalibus coram Episcopo, vel ejus Vicario Generali habendo juxta Tridentinae synodi decretum Cap. 18. sess. XXIV de reformatione eliguntur. (vid. To. I. harum Instit. cap. 16 ubi de Parochis in addimentis Juris siculi). Hoc quoque notandum est quoad reliqua beneficia curata totius regni Siciliae; nam cum regiae literae anni 1781. die 16. Decembris Jurium Funeralium exactionem Parochis, Curatisque totius Regni interdixissent utpote populi, ac praecipue pauperum tranquillitati adversan.*

(a) *Pius V. bulla in* conferendis, *Benedict. XIV bulla* cum illud *LXVIII.*

fantem; altera lege feliciter Regnans Ferdinandus sanxit, ut Universitates totius Regni congruos reditus pro Parochorum subsistentatione adsignent, ob quam dotationem tribuit eisdem, ut jure Patronatus, more laicorum, fruerentur, quô vacante Ecclesia Parochiali tres personas, quarum perspecta sit vitae integritas, ac doctrina, Regiae Majestati praesentent, quae tamen jure fungitur eligendi vel unam ex praesentatis personis, vel aliam quamcumque Ecclesiae utilitati magis idoneam; sub hac quoque lege Paroecias ex regia munificentia dotatas complecti declaravit. Vide diploma sub die 30. *Nov. anno* 1784. *datum. Ex quo conficitur istiusmodi Parochiales Ecclesias non amplius* Concursu, *uti prius in moris erat, sed Laicorum praesentatione proprios Pastores obtinere.*

CAPUT LII.

De conjungendis ecclesiis & beneficiis.

Quid conjunctio beneficii & quotuplex.

§. I. Conjunctio ecclesiarum & beneficiorum, quae communiter *unio* dici solet, est duarum pluriumque ecclesiarum seu beneficiorum legitima auctoritate & ex justa caussa facta coadunatio. Quae quidem conjunctio tribus modis fieri consuevit, confusione scilicet, subjectione & aequali coadunatione (*a*). Confusione duae pluresve ecclesiae seu beneficia in unum veluti

 cor-

(a) *Conf. Duaren. de sacr. minister. lib. V. cap. 6.*

corpus coalescunt, adeo ut inde una ecclesia, unum ministerium unumque beneficium, non duo vere dici possint: quo casu nova ecclesia seu beneficium utriusque privilegiis & moribus, saltem praestantioribus & utilioribus, utetur (a). Subjectione ecclesiae uniuntur, quum singulae proprium coetum retinent, sed altera principalis evadit, cui altera tamquam filia & veluti fundus accedit. Hinc ecclesia secundaria in nomen & dignitatem principalis transit, illiusque reditus matri cedunt; & sacrum ministerium inferioris solet vicario demandari. Et demum aequali jure conjunguntur ecclesiae, quum neutra alteri subjicitur, sed ambabus suum titulum gradumque retinentibus idem minister praeficitur: qua ratione praesertim ecclesiae cathedrales adunari consueverunt. Quacumque vero ratione uniantur ecclesiae seu beneficia, conjunctiones solent esse perpetuae, ut scilicet durante caussa non revocentur.

Episcopatus conjunguntur pontificis auctoritate.

§. II. Quoniam vero per conjunctionem ecclesiae & beneficia in novam formam rediguntur, legitima superioris auctoritate beneficia simul compingenda. Et summus quidem pontifex ampla donatur potestate ecclesias & beneficia omnia conjungendi; praesertim vero ei reservata est ecclesiarum cathedralium conjunctio: quod jus novum est. Etenim in veteri disciplina episcoporum adunatio (ut & eorum sectio & novae cathedrae institutio) a metropolitano & synodo pro-

(a) *Fagnan. ad cap.* novit. *ex. ne sede vaca n.* 3.

provinciali decernebatur (a). Inde saeculo XI jam recepta videtur doctrina, licere summo pontifici extra provincias suburbicarias episcopatus unire (b): nondum vero conjunctio ista inter caussas majores uni pontifici reservatas accensebatur. At aetate Coelistini III intereiderat jam metropolitica potestas, & certum habebatur *unire episcopatus ad summum pontificem pertinere* (c). Cui inducendae disciplinae videntur multum contulisse fragmenta quaedam apud Gratianum, quibus adseritur, S. Gregorium multos episcopatus adunasse (d). At conjunctiones istae factae erant in ecclesiis suburbicariis: quod non advertentes ejus aetatis magistri, inde regula generalis emersit, unius summi pontificis esse cathedrales ecclesias adunare, quod Fleurynus observat. Ceterum quum conjunctiones istae civilem afficiant politiam, nisi consentientibus & petentibus summis imperantibus fieri non debent.

Qui adnectit inferiora beneficia.

§.III. Unius quidem pontificis est ex recepta disciplina duos pluresve episcopatus unire; at conjunctio ecclesiarum inferiorum & beneficiorum intra fines dioecesis ad episcopum, cui plenaria dispositio ecclesiarum suae jurisdictionis competit, pertinet (e). Quo autem episcopus hac

---

(a) *Conf. Fleurynus disc. IV. in hist. eccles. n. 4.* (b) *Ivo Carnotensis ep. CCXXXVIII. Conf. Steph. Baluz. in addit. ad P. de Marca lib. IV. de C. S. & I. cap. 13.* (c) *Cap. VIII. ex. de excessib. praelat.* (d) *Can. XLVIII. seq. C. 16. q. 1.* (e) *Cap. VIII. ex. de excessib. praelat.*

hac in re recte procedat, jure communi capituli consensus requirendus est (*a*). Inferiores vero antistites quamvis ordinariam jurisdictionem habeant, tamen nequeunt ecclesias & beneficia sibi subiecta adunare (*b*): atque hinc episcopus dioecesanus ex consensu inferioris praelati coniunctionem decernit (*c*); nisi praescriptio longaeva talem praelatis jurisdictionem quaesiverit. Quin nec vicarius episcopi sine speciali mandato ecclesias & beneficia adunat. Sed collegium canonicum ecclesiae cathedralis sede vacante recte beneficia conjungit, succedit enim in episcopi jurisdictionem, modo juri episcopali non derogetur. Hinc concludunt doctores, capitulo non licere unire beneficia, quae ad liberam solius episcopi collationem pertinent. Quod si episcopus aut sede vacante capitulum petitam ecclesiarum conjunctionem facere detrectet, recte ab hac recusatione, si injusta videatur, ad metropolitam appellabitur.

Beneficia ex justa caussa uniri debent.

§. IV. Quisquis vero sit, qui ecclesias aut beneficia possit adunare, id certe sine legitimis & probatis caussis faciendum non est: nec enim sine legitima caussa ecclesiae veluti capite minuendae & earum status mutandus. Legitimae autem caussae sunt evidens ecclesiae necessitas aut utilitas (*d*), puta

---

(a) *Conf. Gonzalez. in cit. cap. VIII.* (b) *Rebuf. in prax. benef. tit de unionib. n.* 32. (c) *Clement.* ne in agro *I.* §. 6. *de sta. monach.* (d) *Cap. XXXIII. ex. de praeb.*

puta quod duae ecclesiae sint adeo pauperes, ut ad victum duorum presbyterorum non sufficiant, aut si ecclesiae belli vel temporis injuria desolatae sint, nec eas reparandi spes ulla supersit (a), aut si deminutus sit fidelium numerus (b), aut reditus necessarii sint ad adolescentes in seminariis educandos, aut alias ad Dei cultum sustinendum (c). Quin nec ex omni caussa licebit promiscue omnes ecclesias unire, sed ad conjungendas paroecias sive inter se sive alteri beneficio, major adesse debet caussa, quam si simplicia beneficia unienda sint. Quod si nulla justa caussa conjunctio fiat, ea veluti pervertens ecclesiarum statum, rescindenda est. Et profecto abusio summa erat, qua ante synodum Tridentinam adnectebantur beneficia ad vitam, ut scilicet beneficiarius conjunctionis fuco plura beneficia retineret. Quo autem ecclesiarum statui Tridentini patres consulerent, statuerunt, ab episcopis revocandas ad examen conjunctiones perpetuas beneficiorum a quadraginta annis factas, rescindique quas non ex probatis caussis factas apparuerit (d): at hoc decretum, saltem quod spectat beneficia, quae ecclesiis jurispatronatus laici adnexa sunt, apud nos receptum non est.

Quae beneficia uniri vetitum sit.

§. V. Verum non omnia beneficia sine delectu aliis

(a) *Can. XLIX. C. 16. q. 1.* (b) *Can. XLVIII. eod.* (c) *Trid. sess. XXIII. de ref. cap. 18. Trid. sess. XXIV. de ref. cap. 15.* (d) *Trid. sess. VII. de ref. 6.*

aliis ecclesiis seu beneficiis unire licet. Sane vetantur episcopi mensae suae vel capituli ecclesias adnectere, quod in Clementinis cavetur, ne potius privata quam ecclesiae utilitate conjunctio decernatur (a). Item ex regulis Tridentinis unius dioecesis beneficia alterius dioecesis beneficiis uniri vetitum est (b), & ad seminaria fundanda vel augenda, & ad augendas praebendas canonicales exigui reditus tantum simplicia beneficia saecularia conjungere fas est (c). Porro vetant Tridentini canones, paroecias adnecti monasteriis, dignitatibus, seu praebendis canonicalibus, seu aliis simplicibus beneficiis, aut hospitalibus (d): cura enim animarum certe non patitur, ut ecclesiae paroeciales veluti famulae aliis officiis tali cura destitutis accedant. Statuunt quoque iidem canones, ne beneficia liberae collationis paroeciis sive aliis jurispatronatus beneficiis uniantur, ita ut adnexa beneficia etiam jurispatronatus fiant; adduntque, a quadraginta annis hujus generis peractas conjunctiones ad examen revocari (e). Tanti fuit apud Tridentinos patres libera beneficiorum collatio, ut nec ad promovendam curam animarum permittere voluerint beneficia libera paroeciis jurispatronatus adnecti, quo ipso aliquid derogatum est supre-

(a) *Clement. II. de reb. eccles. non alienand.* (b) *Trid. sess. XIV. de ref. cap.* 9. (c) *Trid. sess. XXIII. de ref. cap.* 18. *& sess. XXIV. de ref. cap.* 15., *Conf. Rigant. in reg. XIII. cancell. n.* 110. (d) *Trid. sess. XXIV. de ref. cap.* 13. (e) *Trid. sess. XXV. de ref. cap.* 9.

premae legi ecclesiasticae, quae jubet, salutem ecclesiae semper praeferendam. Sed hoc decretum, quod minuebat patronorum jura, apud nos receptum non est. Nec licet episcopis unire beneficia sedi apostolicae reservata vel affecta, nisi augendi sint reditus ecclesiarum paroecialium, vel beneficia simplicia seminariis vel praebendis canonicalibus unire oporteat.

Sollemnitas in uniendis beneficiis necessaria:

§. VI. Quo autem constet de legitimis caussis, ecclesiarum, & beneficiorum conjunctiones sub certo ritu & forma canones fieri decernunt. Principio vocandi sunt omnes, quorum interest, veluti patroni sive laici sive ecclesiastici, sine quorum adsensu beneficia jurispatronatus omnino conjungere non licet, praesertim si juspatronatus laicum sit (*a*). Item qui beneficia possident, praesertim paroeci (*b*); at eorum dissensus tantus non est, ut vel faciendam impediat, vel factam rescindat conjunctionem, praesertim quod vivente ipso beneficiario possessio beneficii integra ei relinqui solet (*c*). Audiendus quoque est populus ejus ecclesiae, quae unienda est, ut jura & vota sua proferat. Ex regula porro cancellariae *de unionibus*, qui petunt beneficia per summum pontificem uniri, exprimere tenentur, cujus reditus ea sint, nam inde utrum justa subsit caussa, saepe

(a) *Conf. Turricellus de unionib. cap. IX. n.* 40. (b) *Conf. Rigantius in reg. XXII. cancell. n.* 59. (c) *Zypaeus in jure novo de excessib. praelator. n.* 1.

innotescet. Vocatis autem omnibus, quorum interest, episcopus cum consilio & consensu capituli conjunctionem decernet (a): at si capitulum sine caussa nolit adsentiri, solet sedes apostolica post habito ejus consensu conjunctionem concedere. Nec beneficia ad inferiores antistites spectantia possunt episcopi conjungere, nisi ex assensu praelati inferioris, cui ea subsint (b). Ceterum summus pontifex etiam in *forma gratiosa*, ut ajunt, unire beneficia consuevit, hoc est iis, quorum interest, non auditis; at hujusmodi conjunctiones non in omnibus provinciis admittuntur (c). Quod si beneficium, quod unitur, vacans non sit, conjunctio ita fieri solet, ut demum mortuo beneficiario, aut alias vacante beneficio, effectum sortiatur.

Paroeciae multae olim monasteriis & capitulis adnexae.

§. VII. Quamvis autem ex Tridentinis regulis jure meritoque vetitum sit, paroecias monasteriis aut collegiis canonicorum, seu simplicibus beneficiis adnecti; tamen mediis saeculis alia obtinebat disciplina, atque adeo multae paroeciae monasteriis, capitulis canonicorum eorumque dignitatibus conjunctae sunt. Nimirum postquam saeculo nono & deinceps paroecias a laicis jure feudi possessas episcopi frequentibus decretis & exhortationibus vindicare & in libertatem adserere coe-

(a) *Cap. 1. & seqq. ex. de his quae fiunt a prael. sine consensu capit.*, *Trid. sess. XXIV. de ref. cap.* 15.
(b) *Clement. 1. de statu monach.* (c) *Conf. Espen. par. II. tit. 29. cap. 3. n. 3. seqq.*

coeperunt, eorum multi a se possessas ecclesias potius monachis & canonicis quam clericis saecularibus cedere voluerunt. In novis enim rei monasticae & canonicae vitae reparationibus monachi & canonici sanctitatis laude inclaruerant: contra vero clerici saeculares male olebant (*a*). Tempori ergo ecclesia deserviens permisit, ecclesias a laicis ad monachos & canonicos transferri, modo episcopi consensus accederet (*b*): & inde quamplures paroeciae monachis & canonicis adnexae sunt. Praeterea ipsi episcopi & summi pontifices ecclesias multas monachis & canonicis addixerunt, ad promovendam jam delapsae monasticae & canonicae vitae reparationem: idque mediis saeculis opus religionis reputabatur, quando clerici separatim viventes omni vitiorum genere erant conspurcati. Conjunctiones autem istae ut plurimum fiebant salvo ecclesiarum statu, ut nempe reditus omnes monasteriis & canonicis cederent, sed paroeciis non extinctis.

In paroeciis unitis vicarii constituti.

§. VIII. Quod vero in paroeciis, quae monasteriis, capitulis, alterive dignitati adnexae fuerant, cura animarum exerceri debebat; coeperunt monaci, non secus ac antea laici fecerant, *ecclesiam* ab *altari* distinguere. Dicebant *ecclesiam* bona omnia temporalia & reditus; *altare* vero sacramentorum administrationem & curam spi-

(a) *Confer. Christian. Lupus in can. IX. conc. V. Gregorii VII. tom. 6. op. E.U.* (b) *Conc. Melphitan. CIↃLXXVIII. can. 2, cap. III. de privileg.*

spiritualem. Hac inducta distinctione qui paroecias unitas tenebant, reditus sibi reservarunt, altare vero presbyteris, qui *vicarii*, in Gallia *personae*, dicebantur (a), committebant. Sed semper ac novus presbyter altari praeficiendus erat, aliquid pecuniae episcopis pendebatur: quae pensitatio *redemptio altarium* dicebatur (b), praeter annuum censum, qui episcopo solvebatur, ut inde de jure episcopali in paroecias unitas constaret. Redemptio altarium ex jure feudali videtur invaluisse, quod P. de Marca observat (c): jure enim feudali receptum erat, ut quoties novus vasallus feudo donabatur, certam pecuniae quantitatem domino penderet. Quoniam vero redemptionibus altarium ipsa animarum cura vendi videbatur, synodus Claromontana sub Urbano II eas tamquam simoniacas explosit; sed salvum annuum censum reliquit (d).

Vicarii evaserunt perpetui.

§. IX. Qui autem presbyteri a monachis & canonicis ad regendas ecclesias episcopis sistebantur, ubi assumpti erant, pro arbitrio patronorum videntur ejici potuisse: qua ratione non bene curae animarum consulebatur. Quid enim boni sperare licebat a frequenti vicariorum mutatione & a conductitiis presbyteris, qui non justa sustentatione saepe contenti; plus aequo patronis erant addicti? Hinc saeculo XIII. multis canonibus

(a) *Can. IV. C. 1. q. 3.* (b) *Cangius v.* altarium redemptiones. (c) *P. de Marca in can. VII. conc. Claromont.* (d) *Cit. can. IV. Thomass. part. III. lib. 1. cap. 10.*

bus & pontificum rescriptis statutum, ut in ecclesiis, quae monasteriis & canonicis conjunctae erant, perpetui vicarii instituerentur (*a*): quos canones etiam Tridentini patres confirmarunt (*b*). Itaque vicarii evaserunt veri beneficiarii, utpote qui jure proprio & perpetuo curam animarum acceperunt, tantumque nominis sono a parochis distant. Qua recepta disciplina abbates & canonici aliique, qui ecclesias sic unitas possident, pastores non re sed nomine sunt, & tandem dicti sunt *pastores primitivi*, quo tantum significatur, ecclesias in temporalibus unitas esse, sed spiritualem curam in vicarios perpetuos devolutam. Interim perpetui vicarii a monasteriis & capitulis nominantur, at ab episcopis, quibus curae spiritualis reddere rationem debent, instituuntur.

Viicariis data congrua *portio*.

§. X. Jam ubi reditus integri ecclesiarum unitarum cedebant monachis aut canonicis seu alii beneficiario, jure verendum erat, ne perpetui vicarii fame perirent, si eorum sustentatio arbitrio monachorum & canonicorum relinqueretur. Hinc merito variis canonibus cautum, ut ex reditibus ecclesiae unitae certa redituum quantitas adsignaretur, quae alendo vicario & curae paroeciali sustinendae sufficeret (*c*); qua portione non adsignata vetuit Alexander III., ut episcopi a monachis nominatos instituerent (*d*). Atque haec

---

(a) *Conc. Germanic. an.* CIƆCCXXV. *can.* XII *conc. Biterrense an.* CIƆCCXXXIII. *can.* XI. *sec. cap.* XXX. *ex. de praeb.* (b) *Trid. sess.* VII. *de ref. cap.* 7. (c) *Cap.* XXX. *ex. de praeb.* (d) *Cap.* XII. *ex. eod.*

haec est portio *congrua*, quae alias *sufficiens*, *competens* & *competentia pastoralis* dicta est. Tantum vero adsignari debet in congruam, quantum vicarii sustentationi, curae animarum procurandae & oneribus seu juribus episcopalibus sufficiat (a). *Tantum redigatur, quod rectoris & parochiae necessitati decenter sufficiat*, inquiunt Tridentini patres (b). Ceterum unde portio ista desumenda sit, & quae in eam cedant, & qua quantitate finienda sit, pluribus interpretes, in primis Espenius (c), disquirunt.

Dissociatio ecclesiarum, & beneficiorum.

§. XI. Conjunctioni ecclesiarum seu beneficiorum opponitur eorumdem dissociatio, qua una ecclesia, unumve beneficium in duo abeunt. Divisio ecclesiarum generaliter vetita est (d), valetque regula, *ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur*. Sed ubi suadet ecclesiae necessitas aut utilitas, quod contingit ob populi aucti frequentiam aut ob ecclesiae distantiam, recte una ecclesia in duas dividetur (e), & quidem ejusdem auctoritate, a quo conjunctio decernitur, iisque, quorum interest, auditis. Quod si agatur de dissolvendis ecclesiis, quae jam conjunctae erant, ex justa caussa facile conjunctiones resolvuntur: quodque dissociatio ecclesias in pristinum statum restituat, favorabilis censetur, nec in ea decernenda adeo exacta caussae cognitio dici.

(a) *Cit. cap. XII.* (b) *Trid. sess. XXIV. de ref. cap.* 13. (c) *Espen. par. II. tit.* 34. *cap.* 3. *seqq.* (d) *Cap. VIII. & XXXVI. ex. de praeb.* (e) *Cap. XXVI. ex. cod.*

citur necessaria. Immo si conjunctio facta sit ob certam caussam, puta belli aut paupertatis, tunc si caussa cesset, etiam conjunctio cessabit, quod Rebuffus docet (*a*). Ceterum per dissociationem beneficiis in pristinum statum restitutis, collocatio aut praesentatio ad illum spectabit, cujus ante conjunctionem fuerat, nisi in conjunctione collator aut patronus aperte suo juri renuntiarit.

CAPUT LIII.

De renuntiandis & permutandis beneficiis.

Quid renuntiatio beneficii & quotuplex?

§.I. Renuntiatio beneficii, quae alias *resignatio* dicitur (*b*), est spontanea dimissio ecclesiastici officii, quae ex caussa a legitimo superiore probatur & admittitur. Moribus praesentibus triplex renuntiationis species adsignatur, simplex nempe seu pura, in favorem, & ex caussa permutationis. Et simplex quidem est, ubi apud superiorem sine ulla conditione beneficium ejuramus: in favorem, si ejuramus beneficium sub ea conditione, ut alicui certae personae conferatur: & demum ex caussa permutationis, si duo abdicant quidem sua beneficia, at eo pacto ut alteri alterius beneficium a superiore con-

(a) *Rebuf. in praxi tit. de union. revocat.* (b) *Cap. VIII. ex. de renuntiat., cap. I. eod. in 6.*

conferatur. Ceterum stilo curiae si simpliciter & pure ejuretur beneficium, *renuntiatio* dicitur, at si ejuretur in favorem, *resignationis* nomine dici consuevit.

Renuntiatio simplex quando coepit.

§. II. Quae sine ulla conditione fiunt beneficiorum renuntiationes, sacris canonibus probantur, modo sponte & ex justa caussa fiant, & sacra antistitis auctoritate probentur (*a*). Observat vero Franc. de Roye, harum renuntiationum usum, frequentiorem sub Alexandro III. coepisse, nec in libris decretalium alterius antiquioris pontificis exstare rescripta, quae de iis agant (*b*). Et recte quidem id observatum est, nam veteri disciplina beneficia erant ordinationi adnexa, atque adeo clerici potius ecclesiae, cui erant mancipati & sacro ministerio, quam beneficiis renuntiabant. Quoniam vero ratione ministerii sui sportulas sive singulis hebdomadis, sive mensibus ab ecclesia accipiebant; si ecclesiam, cui erant addicti, ex justa caussa, & episcopo concedente dimittebant, etiam una opera sportulis renuntiabant;

Qui receptae permutationes beneficiorum.

§. III. Permutationes beneficiorum antiquis patribus ignotae, ubi beneficia seorsim ab ordinatione conferri coeperunt, auditae sunt. Sed eas statim inventas synodus Turonensis & pontifices damnarunt (c), suisque beneficiis priva-

(a) *Cap. IV. ex. eod.* (b) *Franc. de Roye in P. jur. can. lib. II. cap.* 18. (c) *Cap. VIII. ex. de praeb., cap. V. ex. de rer. permutat.*

vati sunt, qui ea invicem permutarent (*a*). Quid enim turpius quam ut beneficiarii de sacris officiis tanquam rebus profanis pacifcantur, & ea veluti in commercium adducant? At non vetabatur episcopus mutuo transferre beneficiarios in eas ecclesias, in quibus fidelium utilitati impensius feliciusque servirent, quod Urbanus III, veluti turpibus damnatis permutationibus, docet (*b*). Hinc coeperunt beneficiarii sua beneficia coram episcopo abdicare, & interim sua vota exponere, ut alter ad alterius beneficium transferretur: quae quidem resignationes primitus episcopos ad translationem mutuam faciendam non obligabant, donec tandem receptum est, ut beneficia ex caussa permutationis resignata non aliis quam permutare volentibus conferri liceret: quod jus Bonifacius VIII promovit (*c*), in Clementinis vero constabilitum est (*d*). Certi itaque beneficiarii, quod beneficia ex caussa permutationis apud episcopos resignata non amitterent, si episcopus permutationem non probaret; coeperunt inter se de beneficiis permutandis pacisci, & pacta conventa in scripturam redigere, demum episcopum adire: quam absurdam praxim facilitas episcoporum in admittendis permutationibus promovit. Interim incompertis est, pacta de permutandis beneficiis jure canonico non probari, prorsus vero scelesta & nefaria esse, ubi nulla urget ecclesiae necessitas,

(a) *Cap. VII. ex. de rer. permutat.* (b) *Cit. cap. V.* (c) *Cap. un. eod. in 6.* (d) *Clement un. eod.*

nulla utilitas. Et si episcopi hujusmodi translationes duxerint admittendas, potius ecclesiarum quam permutantium utilitatem spectare debent.

Resignationes in favorem an licitae sint?

§. IV. Tertia demum ejurandorum beneficiorum species dicitur *in favorem*, qua ea conditione abdicatur beneficium, ut alicui designato clerico conferatur: quod plane naturae sacrorum officiorum adversatur. Vetant certe antiqui canones, ut episcopi sibi seligant successorem (*a*): officia enim ecclesiastica ejus generis non sunt, ut qui ea tenent, pro arbitrio de iis disponere valeant. Hinc quo casu in veteri disciplina admittebantur ecclesiarum cessiones, illaesa manebat eligendi libertas. Tantum ex veterum moribus licebat episcopis futurum pastorem ecclesiae commostrare, vel quia eum aptiorem judicabant, vel quia turbas in electionibus frequentes evitare intendebant; quibus etiam rationibus non defuerunt, qui sibi adhuc vivis successores dari curarunt (*b*). Sed demum sub initium saeculi XVI coeperunt beneficiarii ecclesias & beneficia veluti ex pacto & sub certo modo resignare, ut certo alicui clerico darentur (*c*). Quae quidem resignationes, utpote ex pacto conceptae, turpes habentur; vetitum est enim de rebus spiritualibus pacisci (*d*), praeser.

(a) *Conc. Antioch. can. XXIII.* (b) *Conf. Thomass. par. II. lib. 2. cap. 55. & seqq.* (c) *Conf. Espen. par. II. tit. 26. cap. §. 1. 12.* (d) *Cap. V. ex. de rer. permutat.*

fertim si nulla subsit ecclesiae utilitas: saepe etiam beneficia resignantur consanguineis, tantum ut inde latius vivant; aut si extraneis, id ferme ex turpi quaestu fieri solet: dignioribus quoque aditus occluditur; & ordinarii antistites jure collationis privantur. Interim ejusmodi resignationes frequentiores evaserunt maxime in canonicatibus & praebendis, idque ob pontificis auctoritatem, qua conceduntur, quaque ab omni vitio purgari creditum est.

Renuntiationes fieri debent ex justa caussa.

§ V. Sed non sine justa & probabili caussa, quae in ecclesiae utilitatem cedat, ejurari oportet beneficia. Nempe per beneficium clerici certae ecclesiae adscribuntur, quod vinculum sine caussa solvere non licet: idque consentit veteri disciplinae, quae non patiebatur, episcopos & clericos ecclesiam suam deserere, nisi ex justa caussa, veluti si plebs contumax & inobediens pastori suo esset, aut muneris abdicatio ad restituendam ecclesiae unitatem spectaret (*a*). Et Innocentius III sex caussas enumeravit, quibus episcopo ecclesiam abdicare liceret, quae sunt instans vitae periculum, corporis debilitas, criminis conscientia, scientiae defectus, malitia plebis, grave scandalum & irregularitas (*b*). At decursu temporis lapsa ecclesiastica disciplina una invaluit, ut cuique quodammodo liberum esse crederetur, non tantum suum beneficium ejurare, & se ab ecclesiae suae vinculo veluti solve-

 re

(a) *Conf. Bingh. orig. eccles. lib. VI. cap.* 4. §. 2. (b) *Cap. X. ex. de renuntiat.*

re; verum etiam illud in favorem alterius resignare, aut cum alio beneficio permutare, idque ferme sine ulla caussa, praesertim si agatur de beneficiis, quibus nulla cura animarum adnexa est. Invaluerunt ejusmodi degeneres mores fortasse ex facilitate episcoporum in admittendis etiam sine justis probatisque caussis beneficiorum ejurationibus, quod ipsis gratum esset novis collationibus alios clericos beneficiis augere: Qua inducta praxi beneficia veluti in commercium deducta sunt, quasi essent res profanae & jure proprietatis possiderent. Et quamvis Pius V edita decretali nonnisi ex certis justisque caussis in bulla recensitis resignationes beneficiorum ab ordinariis antistitibus admitti decreverit (a); tamen ecclesiastica disciplina inde promota non est, idque quod haec decretalis multorum locorum moribus recepta non fuit.

Et superioris auctoritate.

§. VI. Quo autem ejuratio beneficii, quam beneficiarius sponte facere intendit, jure fiat, interponenda est superioris auctoritas, qui caussam expendat, & praeterea vinculum, quo renuntians cum ecclesia sua adstringebatur, solvat. Superior iste, si episcopus, aut alius ab jurisdictione episcopali exemtus, velit munus abdicare, jure decretalium est summus pontifex (b): episcopus vero ubi inferiores beneficiarii sua beneficia ejurant (c). Interim ex facilitate episcopo-

(a) Bul. quanta ecclesiae LVIII. (b) Cap. II & seqq. ex. de transl. episc. & cap. XV. ex. de renuntiat. (c) Cap. IV. ex. de renuntiat.

porum in admittendis resignationibus invaluit, ut simplices renuntiationes etiam coram ordinariis collatoribus recte fierent: immo inferiores praelati jure admittunt ex caussa permutationis resignationes, modo assiduis moribus id jus sibi quaesiverint. At renuntiationes in favorem jamdiu receptis moribus tantum pontificis auctoritate fiunt, etsi inferiora beneficia renuntientur, adeo ut nec legato a latere, nisi speciali potestate instructo, haec potestas concedatur. Cujus reservationis ea ratio passim adsignatur, ut pontificia auctoritate abstergeretur simoniaca labes, qua resignationes in favorem, utpote ex pacto procedentes, infectae erant; pacta enim de rebus spiritualibus & beneficiariis turpia & simoniaca jure canonico habentur (a). Et multum quidem haec ratio videtur contulisse, ut reservationes in favorem soli pontifici reservarentur: at vera non est sententia, quae habet, simoniam in his resignationibus pontificis auctoritate posse purgari: etenim quae pacta res spirituales & beneficia in commercium deducunt, natura sua turpia sunt, nullius auctoritate purganda (b). Ceterum ubi episcopus permutationes beneficiorum non suae collationis decernit, audire debet inferiores praelatos, & si beneficia jurispatronatus sint, etiam patronos, qui si laici sint, etiam debent consentire.

Qui beneficia possunt renuntiare.

§. VII. Quisquis autem beneficium ecclesiasti-

(a) *Cap. V. ex. de rep. permutat.* (b) *Conf. Espen. par. II. tit. 27. cap. 2.*

ſticum habet, ſi juſta probabilique cauſſa ducatur, id poteſt renuntiare. Nec refert, an corpore ſano an infirmo ſit tempore abdicationis, modo ſi infirmus fuerit & in favorem aut ex cauſſa permutationis reſignaverit, intra viginti a reſignatione dies mortem non obierit. Poteſt & reus criminis poſtulatus ejurare, nec poſtulatus modo, ſed etiam damnatus, ſi a ſententia adverſus ſe lata appellaverit (*a*). Sed impubes ſi beneficio aliquo auctus ſit, id ejurare poſſe non videtur, propter conſilii infirmitatem, quamvis aetate minor etiam ſine curatore renuntiare non vetetur, modo fraus omnis abſit (*b*); minores enim in ſpiritualibus pro majoribus habentur (*c*). Item ex regulis cancellariae promovendi per ſedem apoſtolicam ad dignitates & praelaturas poſt illarum vacationem prohibentur beneficia ſua interim quacumque ratione reſignare (*d*), idque ne impediantur pontificiae reſervationes, quae pontificiae collationi addicunt beneficia, quae per promotionem ad praelaturas aut dignitates vacaverint. Porro ſi quis ad ſacros ordines beneficii titulo promotus ſit, id vetatur ejurare, niſi ejuſmodi promotio exprimatur, & praeterea conſtet renuntianti aliunde ſatis eſſe ad vitam ſuſtinendam (*e*). Ejurari vero debet beneficium vel ab ipſo beneficiario praeſente, vel ab alio, quem ille ejus rei gratia ſpecialem procuratorem con-

---

(a) *Conf. Flamin. Pariſ. de reſignat. benef. lib.IX. q.* 16. (b) *Idem lib. III. q.* 7. (c) *Cap. fin. de judiciis in 6.* (d) *Reg. cancell. XXVI.* (e) *Trid. ſeſ. XXI. de ref. cap.*2.

constituerit (*a*). Nec dubium est, quin alieno nomine facta renuntiatio valeat, nisi mandatum re integra revocatum fuerit, & procuratori aut ei, apud quem beneficium ejuratur, revocatio innotuerit.

Regulae cancellariae de infirmis resignantibus.

§. VIII. Postquam degeneri praxi resignationes in favorem & ex caussa permutationis in usum assiduum abierunt, multa incommoda in rem ecclesiasticam invecta sunt, in primis illud, quod saepe beneficia potius arbitrio resignatium, quam collatorum darentur. Nam qui sibi mortem instare animadvertebant, nihil prius habuerunt, quam ut dum essent infirmi, sua beneficia resignarent. Hinc prodiit regula cancellariae de *infirmis resignantibus*, quae habet, ut si quis infirmus resignet sive simpliciter sive ex caussa permutationis, sive alias beneficium cedat, & intra vicesimum diem a praestito consensu ex ea infirmitate moriatur, collatio vi resignationis facta nulla sit, & beneficium veluti morte vacare censeatur (*b*). Regula ut primitus edita est, loquebatur tantum de infirmis resignantibus, at auctoritate Clementis VII extensa est ad casum, quo resignatio quidem in infirmitate fit, sed vi supplicationis in bona valetudine signatae: quae videtur esse germana Clementinae additionis sententia, quod post alios Espenius observat (*c*): etsi multi teneant, additione Clementis compre-

(a) *Flamin. cit. lib. IX. q. 7.* (b) *Reg. cancel. XX. ante XIX.* (c) *Espen. par. II. tit. 27. cap. 5. n. 7. seq.*

prehensas etiam resignationes a sanis factas, sed inde intra viginti dies morientibus (a). Obtinet vere regula etiam in renuntiatione extra Romanam curiam coram ordinario antistite facta: quod etsi initio dubium esset, tamen Pauli III additione certum evasit; voluit enim hic pontifex, ut regula de infirmis resignantibus in resignationibus *quavis auctoritate* probatis valeret. Ceterum jamdiu coeperunt pontifices huic regulae derogare, ut scilicet valeret resignatio & collatio, etsi infirmus resignans intra viginti dies decedat: quae derogationes facilius indulgentur, quando locus resignationis distat a curia, & beneficia reservata non sunt.

Regula de publicandis resignationibus.

§. IX. Ex regula de infirmis resignantibus alia regula cancellariae *de publicandis resignationibus* originem habuisse videtur. Nimirum videntes profani clerici sibi in infirmitate ereptas resignationes, coeperunt periculum mortis & infirmitatis praevenire, atque adeo sani beneficia resignare; interim vero ex pacto occultare resignationem, ut ad mortem usque beneficiis fruerentur (b). Hinc prodiit alia regula, quae cavet, resignationes debere publicari, & qui beneficia accipiunt, possessionem petere sex mensium spatio, si resignationes in curia factae sint, unius vero mensis, si extra; beneficium vacare per obitum, si resignans post statuta tempora in pos-

---

(a) *Chokier com. ad hanc regul.* (b) *Consf. auctor analysis ad regul. de publicand. resignationibus.*

possessione decesserit; & collationes illorum, tamquam resignatione vacantium, factas & omnia deinceps acta nullius momenti esse. Ubique ferme obtinuit regula ista usque ad Gregorium XIII, qui edita bulla novam publicationis beneficii resignati formam constituit, praeter quam si resignationes fierent, irritas declaravit, & beneficia ipso jure vacantia pontificiae collationi addixit (*a*). Hinc regula de publicandis resignationibus Romae neglecta fuit, nec inter regulas cancellariae deinceps relata est. Sed in multis provinciis veluti in Gallia & Belgio bulla Gregorii recepta non est, & pridem recepta regula adhuc viget (*b*). Apud nos vero usu recepta videtur Gregorii bulla, nisi in eo quod collationi apostolicae reservabat etiam laici patronatus beneficia, quae ob omissam Gregorianam publicationem vacabant. Interim, quod ad eludendam Gregorianam formam multae fraudes irrepserant, eas Bened. XIV innovata Gregorii bulla abolevit (*c*). Quod si summus Pontifex deroget regulae de publicandis resignationibus, ejusmodi derogationes in Gallia non admittuntur, quod Rebuffus tradit (*d*).

An detur regressus ad beneficia renuntiata.

§. X. Per superiorem admissa & jure impleta renuntiatione jus, quod renuntians habebat,

---

(a) *Bul.* humano vix judicio *LXXXV. in bullar. Rom.* (b) *Conf Espen par. II. tit.* 17. *cap.* 6. *n.* 6. (c) *Bul.* ecclesiastica ministeria *X. tom.* 2. *bul.* (d) *Rebuff. gloss. XIII. in hanc regulam.*

prorsus extinguitur, illudque in novum beneficiarium facta collatione transmittitur. Hinc invaluit juris canonici regula, eum, qui semel beneficium suum ejuravit, illud non posse repetere (*a*): idque verum est, etsi beneficium alteri nondum collatum sit, aut renuntiatum sit sub conditione, ut si vivo renuntiante vacaverit, ad ipsum sine nova collatione revertetur: reprobatae enim sunt & omnino excisae ejusmodi conditiones, quae quamdam in beneficiis hereditariam successionem fovebant. Verum in renuntiationibus ex caussa permutationis si ex una parte collatio facta est, tum alter praemoriatur; & in resignatione in favorem, si illi, cujus caussa ejuratum est, beneficium non conferatur, licet renuntiantibus sua repetere beneficia. Hujusmodi enim renuntiationes sub conditione seu potius sub certo modo conceptae sunt, quae modo non impleto resoluuntur (*b*). Quin locus est regressui etiam ubi utrinque perfecta permutatione ex intervallo alterius beneficium ex defectu juris permutantis evincatur, vel litigiosum aut fictum appareat: quippe quod collatio sub certo modo facta etiam ex intervallo resolvitur. Sunt & alii casus in quibus ad renuntiata beneficia regressus datur, ut apud Cabassutium videre est (*c*). Ubi vero conceditur regressus, etsi jure nova collatione opus esse videatur; tamen

---

(a) *Cap. III. V. seq. ex. de renuntiat., Trid. sess. XXV. de ref. cap. 7.* (b) *Conf. Flaminius Paris. de resignat. benefic. lib. I. q. 2. & 5.* (c) *Cabassut. theor. & prax. jur. can. lib. II. cap. 18.*

men ex multorum sententia, quae moribus probata est, sine nova collatione regrediens repetit beneficium, modo alteri vim non inferat, sed legitima auctoritate adprehendat possessionem (*a*).

CAPUT LIV.

De pensionibus ecclesiasticis.

Variae pensionis species.

§. I. JUre Romano *pensionis* nomine potissimum venit pensitatio quaedam certis temporibus & portionibus fieri consueta (*b*). At in re canonica pensio est quaedam beneficii delibatio, qua ex eo quod beneficiarii foret, pars aliqua decerpitur, & alteri clerico ex justa caussa adsignatur. Sunt vero hujusmodi pensionum tria potissimum genera. Quaedam enim ob sacrum spiritualeque munus penduntur, ut cum in ecclesia monachis aut canonicis adnexa cum congrua portione constituitur vicarius, qui ecclesiam ac populum regat (*c*). Item cum praeter ecclesiae pastorem clericus quispiam cum portione proventuum ejusdem ministerio veluti subsidiarius additur (*d*). Et demum sunt pensiones, quae absque ullo onere & ministerio conceduntur, veluti clericis ecclesiae non deservientibus: de quo

(a) *Conf. Espen. par. II. tit.* 27. *cap.* 7. *n.* 19. *seqq.* (b) *L. III.* §. 13. *D. de statulib.* (c) *Conf. superius dicta cap. LII.* §. 10. (d) *Cap. VII. ex. de cleric. non resid.* [illegible]

proftremo penfionum genere hic potiffimum a-
gendum eft.

Origo penfionum.

§. II. Ufus penfionum in ecclefia antiquus eft; patres enim aequirati convenire judicarunt, ut clericis pauperibus, qui ex jufta cauffa ecclefiae fuae non defervirent, de bonis ecclefiafticis alimenta praeberentur. Sic in fynodo Ephefina Euftachio Pergae epifcopo, qui ob fenium epifcopatum abdicavit, alimenta ab eadem ecclefia conftituta funt (a). Et in fynodo Chalcedonenfi tria proftant exempla penfionum, quae ex bonis ecclefiae conftitutae funt epifcopis munere fuo dejectis (b): aequum enim vifum, alimenta tribuere epifcopis, qui ecclefiis fuis fpoliati erant, ut faltem eo folatio contenti vitam deinceps quietam agerent. Similiter ex Gregorio M. conftat, clericis, qui in monafterium ad agendam poenitentiam ablegabantur, item epifcopis & clericis, quos hoftium furor ecclefiis fuis ejecerat, & porro epifcopis ex jufta cauffa munus abdicantibus; ex bonis ecclefiafticis alimentarias portiones fuiffe donatas (c). Penfiones autem iftae ex communi maffa decerpebantur, & rarae videntur fuiffe: tum enim finguli clerici ab ecclefia, cui eos affixerat ordinatio, alimenta accipiebant; ac proinde ut quis ecclefiae non deferviens, penfione augeretur, neceffe erat, ut jure fervitii ab altari vivere non poffet: quod raro con.

(a) *Conc. Ephef. act. VII. epift. ad fynodum Pamphyliae.* (b) *Conc. Chalced. act. X. XII. & XIV.* (c) *Conf. Thomaff. par. III. lib. 2. cap. 29.*

contingebat. Tum facta bonorum ecclesiastico-rum in singulos titulos partitione, non amplius communi massae, sed beneficiis impositae sunt, quin evaserunt, frequentiores: jam enim clerici sine titulo passim creabantur exortique magno numero sunt, qui ex reditibus ecclesiae, sed nullo labore vivere in deliciis habuere.

Pensio natura sua est mera eleemosyna.

§. III. Quidquid vero sit de pensionum origine, certe illae tantum eleemosynae titulo clericis pauperibus constitui possunt: nec enim alio titulo clericis, qui altari non deserviunt, licet de bonis ecclesiasticis aliquid delibare. Nemo unus ignorat, bona ecclesiarum impendi debere ad alendos altaris ministros, ad externum religionis cultum sustinendum, & pauperes fovendos & recreandos (a). Et profecto si paullo attentius expendantur exempla pensionum, quas veteres patres constituerunt, apparebit sola humanitate & tamquam meras eleemosynas, quae necessitatibus responderent, fuisse decretas. Nihil ultra necessariam, & honestam sustentationem ecclesia praebebat clericis altaris ministerio addictis: quis ergo sibi persuadebit, meliore conditione exceptos fuisse clericos, qui ecclesiae non deservirent? Haec pensionum natura ex conditione redituum ecclesiasticorum derivatur, qua immutata persistente etiam in nova disciplina ex mente ecclesiae pensiones sunt alimentariae portiones, quae ad alendos clericos pauperes decer-

pun.

(a) *Conc. Aquisgran. an.* IↃCCCXVI. *can.* 106. *Conf. super. dicta cap. XL.*

puntur: id quod sapientes illi theologi a Paulo III. de reformanda ecclesiae disciplina percontati sine ambagibus professi sunt: *nulla alia de caussa, nulloque alio jure pensiones constitui possunt, nisi ut quaedam eleemosynae, quae in pios usus & indigentibus concedi debent*. Quae eadem Pii IV. sententia fuit; legatis enim regis christianissimi petentibus in synodo Tridentina pensiones omnino aboleri, respondit, eas esse *quasdam eleemosynas*, quibus summus pontifex clericis pauperibus succurrat.

Mala ex degeneribus pensionibus.

§. IV. Verum quum facilis sit ab justo ad iniquum transitus, ubi beneficia instituta sunt, quibus proprii reditus perpetuo cesserunt, pensiones a patrum disciplina degenerarunt, & aliam veluti formam induerunt. Etenim antistites beneficia conferentes coeperunt eorumdem fructus sibi pro maxima parte reservare, quod in synodo Lateranensi sub Alexandro III. vetitum est (a). Pluralitas quoque beneficiorum toties sacris canonibus excisa degeneribus pensionibus ferme restituta aut retenta est, saltem ut profani clerici (quod appetebant unum) ampliores reditus adquirerent (b). Clericis quoque divitibus pensiones constitutae, & quidem ea ubertate, ut integros paene reditus absumerent. Degeneribus pensionibus usque ad schisma Avenionense ferme soli antistites sacros proventus profuderunt; at inde quod dissentientium partium cardinales ad ino-

(a) *Cap. VII. de censib.* (b) *Conf. Sarpus materie benefiziali n. L.*

inopiam suam levandam ecclesiarum reditibus indigerent, coeperunt pontifices fructus beneficiorum totius Occidentis in pensiones absumere. *Hinc pensionum effraenata licentia christianum orbem invasit*, inquit Thomassinus (*a*). Ergo clericis, qui beneficio non serviebant, reditibus ferme omnes addicti, contra beneficiariis alimenta subtracta, pauperibus nihil relictum, sacra suppellex vilis & neglecta, sacrae aedes collapsae. Hanc ecclesiasticae disciplinae labem viderunt theologi mox laudati a Paulo III. consulti de redigenda in meliorem faciem ecclesiae disciplina, & ingenue professi sunt, a canonibus omnino alienas esse pensiones, quae integros ferme reditus beneficiorum absumerent, & divitibus clericis concederentur.

Pensiones censentur odiosae.

§. V. Communis autem & recepta sententia est, quae in nova disciplina pensiones tamquam odiosas & sacris canonibus adversas traducit (*b*); contra quam vetus ecclesia reputabat, quo tempore pensiones tamquam alimentariae portiones a communi massa decerpebantur. Ecclesia enim semper in votis habuit, ut res temporales beneficiorum in tot portiones scinderentur, quot essent egeni. Reputari coeperunt pensiones canonibus adversae recepta regula, beneficia sine diminutione conferri debere, nec dividi posse: cui regulae pensiones, utpote quae fructus uni titulo adscriptos decerperent, adversari visae sunt. Prae-

(a) *Thomass. par. III. lib. 2. cap* 31. *n.* 11.
(b) *Conf. Espen. par. II. tit.* 28. *cap.* 2.

Praesertim vero in pensiones omnium odia concitata, ubi non amplius ut alimentariae portiones, sed potius ut stati & uberes reditus, quibus clerici ecclesiae non deservientes suavius & lautius pascerentur, decretae sunt. Inde est, quod quidam in Tridentina synodo antistites exoptarint, pensiones *ad veterem & usum vere christianum* revocari. Et S. Carolus in ecclesiis sibi subjectis tum vigentes pensiones excidit omnes; & totis viribus obstitit Romanis diplomatis, quibus novae constituebantur, quod vitae ejus scriptor Novarensis episcopus testatur (a).

Caussa ad constituendas pensiones,

§. VI. Quum vero pensiones odiosae & veluti contra canones reputentur, nonnisi ex justa caussa constitui possunt, veluti si aliquis clericus de ecclesia benemeritus sit, aut inops, aut infirma valetudine sit. Moribus receptis ex caussa pacis conciliandae, veluti si beneficium litigiosum sit, ex caussa resignationis sive pure sive in favorem, & ex caussa permutationis beneficiorum ut plurimum pensiones decerpuntur. Nec dubium est, quin ex his caussis recte pensio constituatur, modo concedentis superioris auctoritate, non partium conventione procedat, & negotium omne ex ecclesiae utilitate suscipiatur. At ut habent recepti mores, pensiones ex his caussis fere nefariae sunt, & hominum profanorum predae res pauperum obiiciunt (b). Sane dum beneficium litigiosum est, saepe ex pacto li-

(a) *Lib. VII. cap.* 35. (b) *Conf. Espen. par. II. tit.* 28. *cap.* 3.

litigantium pensio procedit: idque transactionis species est, quae in rebus spiritualibus nefaria censetur (a). Porro nullo jure nititur pensio, quam alter deposcit tantum, quod in favorem ejurat beneficium: & si resignat tantum, ut onere se eximat, & fructus colligat (quod saepe fieri solet), quid aliud hoc est, quam reditus sacros diripere? Et quae imponuntur pensiones in permutandis beneficiis, ut eorum inaequales proventus ad aequalitatem reducantur, sacra officia, tamquam si essent res profanae, in commercium adducunt. Nec est, quod clerici ex pontificis auctoritate sibi blandiantur; nam summus pontifex tantum fidelis est rerum ecclesiasticarum procurator, non dominus, qui pro arbitrio de sacro patrimonio possit statuere, quæ est S. Thomae, & saniorum theologorum doctrina (b). Et deinde fieri potest, ut pensio a superiore rite decernatur, quam nihilonimus nullo jure clericus exigit, quod Espenius observat (c).

Pensiones superioris auctoritate constituendae.

§. VII. Nec tantum ex juxta caussa, verum etiam superioris auctoritate pensiones decerni debent. Et olim quidem ubi reditus ecclesiastici in unum ecclesiae matris aerarium confluebant, episcopi pro jure suo decerpebant pensiones, quae nihil aliud erant, quam portiones communis massae extraneis clericis eleemosynae titulo tributae. At institutis beneficiis,

(a) *VII. ex. de transactionib.* (b) *S. Th.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 7. (c) *Espen. loc. cit. cap.* 4. *n.* 17. *seq.*

quibus proprii reditus perpetuo cesserunt, sensim ad unum pontificem devoluta est pensionum constituendarum potestas. Nimirum canone synodi Turonensis sub Alexabdro III. vetita est sectio beneficiorum & praebendarum (a), & in synodo Lateranensi sub eodem pontifice interdictum est episcopis novos census beneficiis imponere (b). Quum vero pensio veluti quaedam beneficii sciffio sit, & eidem onus imponat, ad eam decernendam pontificis auctoritas necessaria visa est, qua canones relaxarentur. Non desunt tamen interpretes in primis Garzias (c), qui docent etiam episcopis jus esse pensiones decernere. At ubi episcopi pensiones concedunt, ex receptiori sententia distat inter pensionem ab episcopo, & a summo pontifice impositam; haec enim ipsi beneficio ejusque proventibus imposita censetur, ac veluti species servitutis ecclesiasticis regulis adversa reputatur; illa vero tantum beneficiarium afficere creditur, cujus morte extinguitur (d).

Quae fructuum portio pensione potest delibari.

§. VIII. Quantitas autem pensionis moderata esse debet, ut integra beneficiario supersit sustentatio, & praeterea tantum quantum pauperibus alendis & aliis beneficii oneribus sufficiat. Et profecto naturae hujus vectigalis adversatur, ut integri fructus pensionibus absumantur. Hinc ve-

---

(a) *Cap. VIII. ex. de praeb.* (b) *Cap. VII. ex. de censib.* (c) *Garzias de benef. par. I. cap.5.* 2. (d) *Conf. Andreas Vallensis de benef. lib.* 2.

vetuere Tridentini patres, ne pensionibus onerari possent vel cathedrales ecclasiae, quae mille dicatos, vel paroeciales, quae centum annuis suis fructibus non superent (a). Receptum quoque est, ut si resignetur canonicatus aut similis dignitas, pensio non delibetur, nisi reditus sint ultra centum aureos (b). Et in beneficiis, ex quibus pensiones decerpere licet, tradit Fagnanus (c), a pontifice plerumque non reservari, nisi dimidiam aut tertiam fructuum partem. Quod si pensio modum excedat, ad congruam portionem reducenda est, quamvis in Italia exaudiri non soleat, qui renuntiatione in favorem accepit beneficium, & grandiori pensioni consensit. Quaecumque vero portio in pensionem decerpatur, haec in pecunia non in fructibus constituenda est (d), idque ut evitentur discordiae, quae ex fructuum communione inter beneficiarium & eum, cui pensio constituta est, oriri possent. Et nomine fructuum, unde pensiones dilibantur, tantum fructus annui & fixi venire solent, non distributiones quotidianae aut oblationes, quae incertae sunt.

Pensio proprie non est beneficium.

§. IX. Pensiones autem beneficia proprie sic dicta non censentur, quod recte post alios Duarenus (e) observat; nec enim propter aliquod

 sa-

(a) *Trid. sess. XXIV. de ref. cap.* 14. (b) *Flamin. Parisius de resignat. benef. lib. VI. quaest.* 2.
(c) *Fagnan. in lib. III. decretal. par.* 1. (d) *Garzias de benef. par. I. cap.* 5. *n.* 362. (e) *Duaren. de sacr. eccles. minister. lib. VI. cap.* 4.

ſacrum miniſterium conſtitui ſolent. Hinc mortuo creditore non dicuntur vacare, ut impetrari, ſicut aliquod beneficium, poſſint; ſed velut uſusfructus extinguntur. Remittuntur etim abſque ulla antiſtitis venia, at beneficium, niſi ſuperioris accedat auctoritas, non recte ejuratur. Quamvis vero penſio diſtat a beneficio, eſt tamen beneficii loco, praeſertim ſi eleemoſynae modum excedat. E profecto Siſtus V voluit, ut tantum clerici penſionibus augeri poſſint (*a*): qui eo reditu aucti ex Pii V bulla quotidie officium B. Mariae Virginis debent recitare (*b*). Nec videtur dubitandum, teneri clericos penſionibus auctos eccleſiae generalis commodis adlaborare, & ſaltem eccleſiae, cui eos infixit ordinatio, deſervire. Ignavos fucos quî alet eccleſia? Quam proxime vero penſio ad beneficium accedit, ſi quis titulo penſionis ſacris ordinibus initietur.

Quî penſiones extinguntur.

§. X. Quamvis autem penſiones in pecunia conſtituantur, tamen ubi a pontifice conceduntur, ipſum beneficium afficiunt, eique inhaerent, ad quamcumque perſonam illud tranſeat. Interim penſio extinguitur morte creditoris, degradatione, crimine haereſis aut laeſae majeſtatis, percuſione cardinalis cujusvis, aut epiſcopi, in cujus dioeceſi penſio conſtituta eſt, item matrimonio, religioſa profeſſione, remiſſione & interitu rei, cui penſio erat impoſita (*c*). Porro ex-

(a) *Siſtus V. bul.* cum ſacroſanctam *XCII.*
(b) *Bul.* ex proximo· (c) *Conf. Cabaſſut. theor.& prax.jur. can. lib. II. cap.* 14. *n.* 15. *ſeqq.*

extinguitur penſio redemtione, quae fit repraeſentatis, ſeu in anteceſſum ſolutis, aliquot annuis penſionum ſolutionibus, idque ex pontificis auctoritate. Paſſim eo colore probantur penſionum redemtiones, quod repraeſentatis iſtis ſolutionibus beneficia onere impoſito liberantur. At qui cernunt acutum, novum commercii genus redemtionibus ſaepe ineſſe non dubitant. Nam qui reſignant in favorem, ſaepe quaerunt clericos pecunioſos, qui ſtatim reſervatas penſiones poſſint redimere. Quo caſu redemtio penſionis a beneficii venditione vix aliquid diſtat (*d*). Nec tantum redimuntur penſiones verum etiam in alterum tranſcribi poſſunt, modo transferendi poteſtas a pontifice facta ſit (*e*).

CAPUT LV.

De peculio clericorum.

Bona clericorum duplicis generis.

§. I. Bona clericorum duplicis generis ſunt; privata ſcilicet ſeu patrimonialia, quae ex civilibus cauſſis adquiruntur, & profectitia, quae ex reditibus eccleſiae & ſacro officio obveniunt. Et profectitia quidem peculii inſtar habentur ſive ſervorum, ſive profectitii filiorum familias; hujus enim puſillae pecuniae ſive patri-

(a) *Conſ. Sarpius materie beneſiziali n. L.*
(b) *Conſ. Hieronym. Gigas de penſionib. quaeſtion. XII.*

trimonii usus & administratio penes servum filiumve, at dominium penes dominium patremve erat (a). Sane beneficiarii domini non sunt redituum ecclesiasticorum, sed nudam habent administrationem (b): & inde quidquid ex reditibus ecclesiasticis clerici possident, *peculii* nomine dici potuit. Prostat in decretalibus titulus *de peculio clericorum*, at in canonibus & rescriptis sub eo comprehensis nusquam *peculii* nomen occurrit: quod fortasse coepit usurpari, postquam beneficiorum tituli erecti sunt, quibus proprii reditus a communi massa separati perpetuo cesserunt, quod Espenius observat (c). Porro haec eadem profectitia clericorum bona post eorum mortem *spolia* dicta sunt: idque quod clerici exemplo monachorum ad mortem decumbentes consuerunt rebus peculiaribus se ultro spoliare, ne ecclesia damnum sentiret.

Bona privata sunt in clericorum dominio.

§. II. Quod spectat ad bona privata seu patrimonialia, clerici sunt eorum domini, atque adeo de iis testamento statuere possunt, & si intestato moriantur, locus est legitimae successioni. Et profecto canones sic dicti apostolici & Antiocheni distinctas & manifestas esse decernunt res episcopi & res ecclesiae, ut de illis pro arbitrio disponere posset; haec vero ecclesiae-

ce.

(a) *L. IV. & V. D. de pecul.*, *L. VI. C. de bonis, quae liberis*. (b) *Conf. Sarpus materie benefiziorie n. XXI. q. 2.* (c) *Espen. par. II. tit. 32. cap. 1.*

cedant (*a*). Et imperator Justinianus edixit, ut episcopi de rebus privatis sive inter vivos, sive testamento pro suo arbitrio disponant (*b*). Tantum de episcopis canones isti & Justiniani constitutio statuunt, non de reliquis clericis, qui quod tantum ad vitam necessaria ab ecclesia accipiebant, vix erat, ut de bonis ecclesiasticis aliquid relinquerent, nisi essent oeconomi aut diaconi, quos in administrandis ecclesiae rebus sibi episcopus adjunxisset. Sed postquam instituta sunt beneficia, etiam canones potestatem faciunt beneficiariis, ut pro arbitrio de privatis bonis disponant (*c*). Censentur autem bona privata & patrimonialia, quae episcopus aut beneficiarius ante ordinationem ex quacumque caussa adquisierat, & quae post ordinationem non intuitu ecclesiae comparabat (*d*). Quod si clerici aut monachi intestato decedant nullis relictis heredibus, sive civili sive honorario jure vocatis, eorum bona propria ecclesiae vel monasterio, cui fuerant addicti, adscribuntur, quod a Theodosio juniore cautum est (*e*).

Clerici de bonis profectitiis testari non poterant.

§. III. Verum enimvero de bonis profectitiis, hoc est intuitu ecclesiae adquisitis, clerici in veteri disciplina non minus sacris canonibus, quam jure civili testari vetabantur; nec enim ta-

(a) *Can. XL. apostol., conc. Antioch. can. XXIV.* (b) *L. XLII. §. 2. C. de episcop. & cleric.*
(c) *Lib. I. capitul. cap. 88., & cap. VII. ex. de testam.* (d) *Cit. l. XLII. §. 2., can. II. C. 12, q. 3.* (e) *L. I. C. Th. de bonis clericor.*

talium bonorum domini erant, sed meri procuratores. Et initio quidem tantum intestabiles facti videntur episcopi & administratores ecclesiarum & xenodochiorum (*a*), non vero reliqui clerici, qui ex legibus Justiniani de rebus quomodocumque quaesitis testari poterant, etiamsi essent sub patris potestate, tamquam si bona ista castrensis peculii instar essent (*b*). Nec obscura videtur hujus discriminis ratio: episcopi enim ex reditibus ecclesiarum multa poterant comparare; at reliqui clerici (ut pote quotidianis ad necessitatem sportulis viventes) non adeo multum ex bonis ecclesiasticis poterant adquirere, ut iis testamenti factio jure interdiceretur (*c*). Quod si synodus Carthaginiensis III veluti rerum ecclesiasticarum invasores damnavit episcopos & clericos omnes, qui nihil habentes ordinabantur, & tempore episcopatus aut clericatus praedia *nomine suo* comparabant (*d*), id videtur spectasse clericos, qui rebus ecclesiasticis procurandis erant immisti, non eos, qui tantum altaris servitio mancipati solas alimentarias sportulas accipere solebant. Sed lapsu temporis ubi beneficia instituta sunt, quibus uberes reditus perpetuo adscripti sunt, beneficiariis omnibus de spoliis testari interdictum est, quod jus decretalibus prostat (*e*).

Spo.

(a) *Can. XL. apostol.*, *L. XLII. §. 2. C. de episcop. & cleric.*, *novell. CXXXI. cap.* 13. (b) *Novel. CXXIII. cap.* 19. (c) *Conf. Boëhm. jur. eccles. lib. III. tit.* 25. (d) *Can. I. C.* 12. *q.* 3. (e) *Cap. I. ex. de pecul. cleric.*, *cap. VII. & seq. ex. de testam.*

Spolia beneficiariorum jure pertinent ad ecclesiam.

§. IV. Quando igitur clerici domini non sunt rerum ecclesiasticarum, & ideo interdicti sunt de bonis inde quaesitis testari; profecto spolia decedentium beneficiariorum veluti jure peculii ad ecclesiam reverti debent, quod & sacris canonibus & jure civili constitutum est (*a*). Hinc voluit Gregorius M., ut mortuis episcopis vel de sua sede ejectis, clerici sublimioris gradus bona ad ecclesiam pertinentia gratis palamque describerent (*b*). Et synodus sexta oecumenica statuit, ut mortuo episcopo res ejus, aut ecclesiae, donec alius episcopus constituatur, clerus ejusdem ecclesiae custodiret (*c*). Nomine autem ecclesiae, ad quam pertinebant spolia decedentium beneficiariorum, quousque reditus omnes in unam massam confluxerunt, veniebat commune ecclesiae matris aerarium; at institutis beneficiis esse coepit ecclesia, in qua beneficium fundatum est. Hinc si canonicus aliquis decedat, canonicorum collegium spoliorum ejus canonicam distributionem facere & curam habere debet, successor vero in beneficio, ubi unus est beneficiarius, quod Alexander III respondit (*d*). Nimirum quae defuncto beneficiario supersunt, ad propriam conditionem & ecclesiam, unde decerpta sunt, reverti debent: quae disciplina

(a) *Can. Apostol. XL., conc. Antioch. can. XXIV., L.XLII. §.2. C.de epis & cleric.* (b) *Can. XLV. 12 q.2.* (c) *Can. XLVIII: eod.* (d) *Cap. XII.ex.de testam.*

ex divisione bonorum ecclesiasticorum in singulos titulos profluxit (a).

Direptiones spoliorum olim frequentes.

§. V. Jure veluti peculii pertinebant quidem ad ecclesiam decedentium beneficiariorum spolia; at antiquus morbus est, quo clerici & inde laici eadem statim ac episcopus aut beneficiarius animam efflaverat, diripere & invadere consueverint. Omnium primi in spolia decedentium episcoporum clerici manus injecerunt; quas nefarias direptiones synodus Chalcedonensis coërcuit, poena depositionis comminata (b). Videntur clerici ad has direptiones primum incitati, quod mortuo episcopo, qui interea res ecclesiasticas procurabant, justum demensum eis non admetiebantur. Semel usurpatae direptiones inde a clericis continuatae, & eorum fortasse exemplo, aut propriis cupiditatibus illecti, deinceps laici, praesertim duces, comites ceterive domini temporales spolia episcoporum & parochorum, ut & bona ecclesiarum vacantium invaserunt (c): idque majori impetu factum videtur saeculo XII, quando haeresis Arnaldistarum erupit, quae docebat, nefas omnino esse clericis aut monachis bona temporalia & regalia possidere (d). Hinc synodus Lateranensis sub Innocentio II canonem Chalcedonensem renovavit, proscripsitque consuetas spoliorum episco- pa-

(a) *Boëtius Epo ad cit. Alexandri III. decretalem n.14.* (b) *Conc. Chalc. can. XXII.* (c) *Conf. Thomass. par. III. lib. 2. cap. 54.* (d) *Conf. N. Alexander hist. eccles. saec. XI. & XII. cap. 4. art. 8.*

patuum direptiones (a). Ceterum ex iis malis moribus primum data videtur occasio summis imperantibus, ut vacantium ecclesiarum custodiam sibi sumerent (b).

Episcopi usu aut privilegio spolia sibi vindicant.

§. VI. Porro institutis beneficiis episcopi nonnulli, aut assiduis moribus aut sedis apostolicae privilegio spolia beneficiariorum intestato decedentium, quae ad ecclesiam pertinebant, sibi coeperunt vindicare; perspicuumque ejus privilegii exemplum Innocentius III exhibet (c). Abbates quoque quidquid a prioribus sibi subjectis congestum fuerat, ad se post eorum mortem revocabant. Nec sane ejusmodi consuetudines aut privilegia a natura rerum ecclesiasticarum abhorrebant, modo episcopi in usus canonicos accepta spolia procurarent. Summi rerum ecclesiasticarum procuratores erant episcopi, & quidquid inferioribus beneficiariis cessit, id veluti precario datum videbatur. Hinc ejusmodi consuetudines aut privilegia Bonifacius VIII non improbavit; statuit enim bona decentium clericorum ad ecclesiam spectare, nisi episcopi, aut reliqui inferiores antistites consuetudine, aut privilegio aut alio justo titulo illa sibi quaesivissent (d). Quod si beneficiarius decedens voluntatem suam quocumque modo declaret, cui usui impendi velit, quae ipse relinquet spolia, cessat episcopi privilegium, ut de

 bo-

(a) *Can. XLVII. C. 12. q. 2.* (b) *Conf. superius dicta cap. XLI. n. 9.* (c) *Cap. XVIII. ex. de V. S.* (d) *Cap. ult. de off. ordin. in 6.*

bonis illis ordinet & disponat (a).

Clerici de profectitiis in multis locis testantur.

§. VII. Interea dum clerici aut laici spolia decedentium clericorum invadebant, & episcopi in aliquibus ecclesiis eadem sibi consuetudine aut privilegio vindicabant; in pluribus provinciis sensim coepit invalescere, ut beneficiarii etiam de rebus ab ecclesia profectis testarentur. Sane Alexandri III aetate receptum erat, ut beneficiarii pauperibus aut religiosis locis & aliis, qui viventi servierant, sive essent consanguinei sive extranei, de mobilibus ab ecclesia quaesitis aliquid secundum servitii meritum conferre possent (b). Consuetudo ista sensim convaluit, & tempore addito aliam formam induit, ut nempe liceret clericis & mobilia & immobilia occasione ecclesiae parta etiam non pauperibus testamento relinquere: qui mos saeculo XV in Gallia & Hispania obtinebat. Non parum huic consuetudini inducendae contulit testandi venia ab episcopis & pontifice passim beneficiariis concessa, & difficultas patrimonialia a profectitiis discernendi. Spectabat autem haec testandi facultas praesertim inferiores beneficiarios, nam episcopi ferme antiquae disciplinae suberant, nisi indulgentia speciali sedis apostolicae testamenti factio concederetur. Quin ex generali regni Galliae consuetudine beneficiariis intestato decedentibus heredes legitimi etiam in bonis ab ec-

(a) *Cap. XIII. ex. de testam. Conf. Andr. Fachinaeus lib. V. controver. cap.* 57. (b) *Cap. XII ex. de testam.*

ecclesia profectis succedunt (a). Ceterum quicumque hac in re mores invaluerint, certum est, testamenta clericorum, quibus pro arbitrio de rebus profectitiis statuunt, jure tantum externo sustineri; nam in foro interno una haec lex semper obtinebit, beneficiarios esse rerum ecclesiasticarum procuratores, & quidquid post eorum mortem superest, ad ecclesiam pertinere (b).

Spolia beneficiariorum sibi pontifices reservant.

§. VIII. Sed in negotio spoliorum ad ecclesiam jure pertinentium tacendi non sunt Romani pontifices, qui tandem eadem fisco pontificio cedere jusserunt. Et medio ferme saeculo XIII tentarunt pontifices per Angliam spolia decedentium clericorum occupare; at obstitit regia potestas, quo minus hoc novo quaestus genere Angliae divitiae Romam confluerent (c). Inde sede apostolica Avenionem translata, & praesertim schismatis hinc secuti tempore pontifices in spolia episcoporum & beneficiariorum decedentium munus injecerunt, ut satis pecuniarum ad se tuendos & partes suas sustinendas corraderent, cessitque res ex voto pontificum nullo ferme adversante (d). Hinc missi in multas provincias exactores *Collectores* dicti, qui beneficiariorum spolia colligerent, & fisco pontificio inferrent: restituta vero ecclesiae pace semel

(a) *Conf. Broudueus not. ad Lovetium.*

(b) *Conf. Espen. par. II. tit. 32. cap. 7.* (c) *Matth. Parisiis ad an. CIↃCCXLVI.* (d) *Conf. Thomass. par. III. lib. 2. cap. 57.*

mel receptae exactiones in plerisque locis continuarunt. Et quo quaestus uberior esset, Pius IV irrita pronuntiavit testamenta omnia praelatorum & beneficiariorum, qui de bonis ab ecclesia prodeuntibus testarentur, nisi papa, cujus erant haec spolia, permittente. Item idem pontifex spolio contineri voluit etiam bona, quae sibi clerici negotio vel quovis alio illicito quaestu paraffent (a): id quod supra modum fisco pontificio profuit, quod Sarpus observat (b). Novitates istae in pluribus christianis provinciis admissae sunt: in Gallia initio admissae, inde constanter rejectae sunt. Apud nos sub Andegavensibus spolia ista in fiscum pontificium illata sunt, sub Aragonensibus restituta est ecclesiae disciplina, regno collectoribus ejectis: at demum sub Austriacis iterum pontifices spolia occuparunt. Initio tamen beneficia regiae collationis a spoliis pontificiis subtracta sunt; tum rescriptis Caroli olim regis nostri etiam beneficia omnia jurispatronatus regii & feudalis, ut & beneficia, quae reditum triginta ducatorum auri de camera non excedunt exemta sunt.

Hodierna regni nostri disciplina de spoliis beneficiariorum.

§. IX. Spoliis episcoporum & beneficiariorum ad fiscum pontificium devolutis, ecclesia non minus quam respublica turbata est: nam exactores pontificii inter spolia etiam vasa & ornamenta ecclesiarum, ut & bona privata cleri-co.

(a) *Pius IV. bul.* decens esse. (b) *Conf. Sarpus materie benefiziali n. LIV.*

corum censebant, omniaque illegitimis modis invadebant, perturbabant. Quae incommoda praesertim in regno Apuliae invaluerunt, ubi sub regibus Andegavensibus & Austriacis, aut novitates pontificiae admissae, aut non qua opus erat, constantia rejectae. Taudem vero tot molestiis regni beneficiarii liberati sunt, non quidem ecclesiastica disciplina restituta, sed de spoliis cum Sisto V inita transactione, qua capitula ecclesiarum cathedralium pro spolio canonicorum & beneficiariorum totius dioecesis annuam pecuniae quantitatem camerae apostolicae solvere promiserunt; & vicissim summus pontifex spolia remisit, iisque facultatem de rebus profectitiis testandi concessit, eaque ad heredes legitimos ab intestato transmittendi. Atque ita tandem coeperunt nostri beneficiarii de rebus ab ecclesia profectis testari. Complectitur vero inita conventio spolia, exceptis rebus illicita negotiatione quaesitis, & praeterea fructus jam perceptos, non pendentes, hoc est nondum exactos, etsi maturos (a). Porro transactio ista tantum transigentes spectavit, atque adeo sunt adhuc aliquae dioeceses, ubi jus spolii viget, quod nullam inierint transactionem, quales Sulmonensis & Valvensis, Sorana & Aquinas. Constat quoque episcopos, abbates & reliquos inferiores praelatos transactionis hujusmodi non fuisse participes; quibus propterea morientibus spolia adhuc in fiscum pontificium invehebantur; idque ste.

(a) *Sistus V. bul.* cum sicut accepimus *ad calcem instruct. pro subcollectorib.*

ſtetit ad Innocentium XII uſque, qui camerae apoſtolicae in colligendis ſpoliis epiſcoporum & praelatorum hujus regni prorſus abolevit, eaque eccleſiis reſtituit, ita tamen ut liceret antiſtitibus in ſuarum cathedralium & paroeciarum eccleſiarum utilitatem diſponere (a).

☞ *Antiſtitum decedentium hæreditates, quas vulgo* ſpolia *appellamus in Sicilia ad Principes ſpectaſſe, ab eiſque adminiſtratas fuiſſe, Regis Alphonſi etate qui ſec.XV. vixit, antiquius eſſe Franciſcus Teſia in notis ad Cap. 478. ejuſdem obſervavit; quod quidem ex eo potiſſimum evincit, quod cum mortem obiiſſet Gilfortis Pontifex Panormitanus, Martinus Rex quid de ipſius re familiari, ac ſupellectili faciendum eſſet decrevit. Hoc quoque jus ratum fuiſſe poſteriori ætate apertiſſima monumenta demonſtrant. Siquidem ſub Carolo II, qui Siciliam ſec.XVI. gubernavit, generalia Regni Comitia expoſtularunt* ut fructus vacantes propter mortem Prelatorum in Eccleſiarum reſtaurationem, & utilitatem impenderentur: *Confer Cap. 16. dicti Caroli. T. II. Cap. Regni. Hujus filius ac ſucceſſor Philippus I. Regni noſtri Comitiis expoſtulantibus, ut ex ſpoliis, & fructibus Eccleſiarum vacantium aliqua ſumma applicetur in reſtaurationem, & ſubſidium pauperum Eccleſiarum, & locorum piorum, ipſorum votis benigne annuit. Vid. Cap. 100. ejuſd. inter Capit. Regni T. II. ac Cap. 58. & 81. Denique ut cætera mittam Carolus Borbonius anno 1740. fructus Eccleſiarum vacantium, ac ſpolia Præſulum ſui juris* [illegible] *eſſe*

(a) *Innocent.XII. bul.* inſcrutabili.

esse declaravit, eorumque administrationem M.R.C. adscripsit.

Verum anno 1745. *Regiis litteris sub die* 3. *Aprilis signatis ad Episcoporum Siciliensium postulationem concessit; ut Praesules & Abbates Regii mobilium tantum bonorum spolio eximantur solutis quotannis Aerario Regio unciis* 1000. *per eos in tribus aequalibus solutionibus quolibet quadrimestri contribuendis pro rata respondente reditibus beneficii, quod eorum quisque possederit; ita tamen, quod eveniente morte Praesulis non adhuc soluta rata ab ipso debita ex pretio mobilium ejusdem Regio Erario satis fiat. Quinimo anno* 1747. *declaravit: sub exemptione spoliorum Praesulibus indulta haud comprehendi nomine debitorum fructus pendentes, aut maturati & non percepti usque ad diem obitus ipsorum Praesulum, sed Regii Erarii beneficio cedere. Adesis T. IV. Sic. Sanctionum. p.* 196. *& seq.*

CAPUT LVI.

De immunitate a tributis ecclesiarum bonis & clericis concessa.

Quid tributum & variae ejusdem species.

§. I. TRibutum est pecunia, quae civibus ad reipublicae onera sustinenda imperatur, ita dictum, quod ubi primum Romae impositum est, tributim a singulis exigebatur. A tributis jure Romano distabant proprie sic dicta *vectigalia*, quae alio quovis nomine imposita erant, veluti pecunia, quae portorii vel

vel salis, vel vicesimae nomine exigi solebat (a). Sed tributa duplicis generis erant, unum quod capitibus liberis vel ratione habitationis, vel artificii; alterum quod fundis imponebatur, & proprie *census* dictum est. Utraque erant vel ordinaria, vel extraordinaria. Ordinaria, quae vocari solent *canones* & *indictiones*, ordinario jure pendebantur: extraordinaria pro variis reipublicae necessitatibus supra canonicas indictiones, quousque necessitates urgerent, imponebantur: & hinc vocari solebant *superindicta*, exstatque titulus in utroque C. de *superindicto*. Praeterea jure Romano erant quaedam extraordinaria munera tributis affinia, quae civium capitibus & bonis imminebant, & *sordida munera* dicebantur, qualia erant pollinis conficiendi cura, panis excoctio, pristini obsequium, angariae & parangariae, viarum & pontium constructiones aliaque manualia opera; quae Iac. Gothofredus enarrat (b). Verum in muneribus sordidis distinguere oportet munus personis impositum a pecuniae praestatione, quae ratione muneris praestabatur. Proprie munus sordidum erant ipsa manualia opera; nam pecuniae praestatio potius erat tributum superindictum. Quod discrimen ab aliis adnotatum late adseruit marchio Salvator Spiriti, vir mihi amicissimus & omni doctrinarum genere excultus, qui amplissimis togae honoribus auctus, nunc regalis Camerae S. Clarae est a secretis (c). Ec-

(a) *Conf. Sam. Petit. variar. Lect. lib. II* 1.
(b) *Gothofred. in l. XV. C. Th. de extraordin. sive sordidis munerib.* (c) *In opere, quod propediem evulgabitur.*

Ecclesiae & clerici jure gentium tributis subjecti.

§. II. Jure gentium praedia ecclesiarum, clerici & eorum bona tributis subjacent, eaque ex forma cujusque reipublicae inferre deberent, nisi privilegio speciali exempti essent. Nimirum placuit inter gentes, ut pecunia, quae ad sustinendas reipublicae necessitates necessaria est, ex civium collationibus, quae & ipsis capitibus liberis & agris & aliis fortunis indicuntur, colligatur. Et quoniam bona ecclesiarum, etsi piis usibus addicta, adhuc manent sub civili imperio, & clerici per domini sortem non desinunt esse cives; hinc fit, ut jure gentium non minus bona ecclesiarum, quam ipsi clerici tributis subjaceant. Ipsi antiqui patres hoc jus adgnoverunt, & totidem verbis professi sunt, bona ecclesiarum tributis subjacere. *Si tributum petit imperator*, inquit Ambrosius (a), *non negamus, Agri ecclesiastici solvunt tributum. Solvimus quae sunt Dei, Deo. Tributum Caesaris est non negatur.* Item docent Gregorius Nazianzenus, idem Ambrosius, Hilarius aliique non aliam dari rationem qua quis a tributis eximatur, quam nihil rerum terrenarum possidere (b); quod argumento est, ex praediis omnibus etiam ecclesiasticis tributa pendi consuevisse. Et Augustinus ex apostoli sententia, quae habet, omnem hominem pote-

 stati-

(a) *Ambros. orat. contra Auxent. cap. XXXII.*

(b) *Nazianz. orat. ad Julian. tributor. peraequatorem, Ambros. lib. IX. in Lucam, Hilar. Pictaviensis cap. XXII. in Matth.*

statibus sublimioribus subjectum esse, & independi tributa, docet, etiam clericos salvo Dei nostri cultu tributa solvisse; idque ipsum dominum fecisse, ut nobis hujus sanae doctrinae praeberet exemplum (a). Quae quum ita sint, ubi docent tridentini patres (b), *ecclesiae & personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione & canonicis sanctionibus constitutam* fuisse, ordinatio illa divina non videtur esse jus divinum proprie sic dictum, sed potius aequitas quaedam naturalis & Dei adprobatio, secundum quam saeculi principes ecclesiarum & clericorum immunitatem constituerunt, quod ipse Io. Antonius Bianchi professus est (c).

Quae exemptio a tributis jure civili ecclesiis concessa.

§. III. Quoniam vero aequissimum erat, ut praedia christianis usibus dedicata, tributis non subjacerent, & clerici in civitate essent gratiosi; pro pietate sua christiani principes & ecclesiam & clericos a multis publicis oneribus exemerunt; quod privilegium variam habuit fortunam. Et primum quidem Constantinus M. initio imperii sui bona ecclesiarum generatim a tributis omnibus videtur exemisse (d). Sed inde auctis bonis ecclesiarum sequentes imperatores concessam immunitatem tamquam reipublicae gravem revocarunt; certe enim Ambrosii aetate ex agris eccle-

(a) *August. de catechiz. rudib. cap. XXI.*
(b) *Trid. sess. XXV. de ref. cap. 20.* (c) *Bianchi contra Giannone lib. IV. cap. 3. §. 3.* (d) *L. 1 C. Th. de annona & tribut. in quam consule Gothofred.*

clesiarum tributa pendebantur (*a*). Quod jus stetit usque ad Honorium & Theodosium juniorem, qui anno CCCCXII *praedia usibus caelestium secretorum* destinata a superindictis & sordidis muneribus, non vero ab ordinariis & canonicis illationibus exemerunt (*b*). Ceterum concessa a superindictis immunitas non semper generalis fuit; etenim non multo post idem Theodosius & Valentinianus III angariis & parangariis ecclesias subjecerunt, si ipse imperator in expeditione, aut itinere versarentur (*c*). Angariae & parangariae erant jumentorum & plaustrorum praestationes ad annonae militaris aliarumque specierum fiscalium transvectionem; & angariae quidem, si transvectiones fiebant via publica & ordinaria, parangariae vero si extra viam publicam, ubi cursus publicus dispositus non erat (*d*). Porro iidem imperatores superindictis ecclesias subjecerunt ad viarum publicarum munitionem & pontium instaurationem (*e*). Et imperator Justinianus confirmata ab ordinariis collationibus concessa ecclesiis immunitate, species excepit itineris sternendi & constructionis & reparationis pontium, si tamen illae in territorio civitatis, in qua quid ejusmodi fierent, praedia possiderent (*f*).

Cle-

(a) *Ambros. contra Auxent. cap. XXXII*, (b) *L. XL. C. Th. de episc. & cler.* (c) *L. XI. C. de sacros. eccles. L. XXI. C. de cursu publ.* (d) *Conf. Jac. Gothofr. in l. IV. & XV. C. Th. de cursu publico.* (e) *L. VI. C. Th. de itinere muniendo, novel. XXI. Valentiniani ad calc. C. Th.* (f) *Novel. CXXXI. cap. 5.*

Clerici quibus tributis jure civili exemti.

§. IV. Porro christianorum imperatorum privilegio clerici a censu pro capite libero exemti sunt; nec enim vera videtur sentire Jac. Gothofredus, qui tenet quidem sub christianis imperatoribus eos pro capite libero nihil solvisse, at non aliquo privilegio, sed quod tributum hoc ea aetate erat abrogatum (*a*): quam sententiam pluribus Binghamus confutavit (*b*). Sed pro reliquis illationibus Constantius ex forma antiquae sanctionis primum clericos novis collationibus exemit, ut & onere metati seu hospitii, & ab exactionibus negotiorum, si eorum aliqui alimoniae causa negotiari vellent (*c*): inde vero ut ecclesiarum coetus concursu populorum ingentium frequentarentur, ampliori immunitate clericos auxit; eos enim ut eorum uxores, filios & servos a sordidis muneribus, ab illationibus ratione mercaturae & personalibus omnibus oneribus exemit (*d*). Non diu vero stetit immunitas ista, utpote quae ab eodem Constantio post synodum Ariminensem revocata est lege lata, qua patrimoniales clericorum fundi fiscalibus pensitationibus subjecti sunt, tantumque iis data exemtio a sordidis muneribus & illatione mercaturae, si tenuissimis vacarent negotiolis (*e*). Tenent eruditorum multi, Constantium odio catholicorum antistitum, qui infaustae synodo Ari-

(a) *Gothof. in l. IV. C. Th. de censu.* (b) *Bingham orig ecclesiast. lib. V. cap.* 3 §. 2. (c) *L. VIII. C. Th. de episc. & cleric.* (d) *L. X. C. Th. eod.* (e) *L. XV. C. Th. eod.*

Ariminensi interfuerant; concessas clericis immunitates abrogasse, aut restrinxisse; at id potius factum videtur, quod occasione antecedentis legis multi ex clericis quaestus gratia mercaturam coeperant exercere, presertim quod episcopi, qui ad comitatum ex partibus Italiae, Hispaniae & Africae venerant, latam legem, justam judicarint. Quos omnes episcopos Arianos fuisse adfirmanti Jac. Gothofredo non facile credendum videtur. Verum sub sequentibus imperatoribus clerici ab extraordinariis & sordidis muneribus immunes facti sunt, quod ex quadam Arcadii & Honorii lege constat, *ut hi, qui ecclesiae obtemperant, his, quibus ecclesia, beneficiis perfruantur* (a).

Bona ecclesiarum jure capitularium a tributis exemta.

§. V. Immunitas a tributis ecclesiarum bonis jure Romano concessa, ubi in Europa ex ruinis Romani imperii nova regna emerserunt, in dies crevit; praecipue regum Francorum liberalitate. Sane Carolus M. generatim a tributis regi pendi solitis bona ecclesiarum exemit. *Placuit*, inquit unum ex Caroli M. capitularibus (b), *ne praedia caelestium secretorum dicata Deoque tradita a quibusdam aliqua occasione vexentur; aut invadantur, sed sub immunitatis tuitione perpetua firmitate perdurent. Similiter & homines eorum & omnia, quae eis subjecta esse noscuntur*. Verum haec exemptio praecipue spe-

ćta-

(a) *L. XXX C. Th. eod.* (b) *Cap. reg. Franc. lib. V. cap. 187.*

ctabat canonicas illationes, nam a quibusdam extraordinariis oneribus ecclesiae immunes non erant, veluti si ageretur de muniendis itineribus & pontibus reficiendis, si tamen eo loci habuissent possessiones (a). Item oneri metati, hoc est hospitii, ecclesiae subjectae erant, si imperatores eorumque consanguinei, aut palatini officiales atque legati iter facerent. Quin Carolus M. & Ludovicus Pius certa loca metato designaverant, ut antecedenter parari possent, nec inopinato umquam obruerentur, quibus id oneris incumbebat (b). Praeterea quae sibi nova ecclesiae comparabant praedia, si qua hactenus oneribus publicis obnoxia fuissent, iisdem deinceps subiiciebantur, nisi, peculiari regum concessione eximerentur. *Ut de rebus*, inquit quoddam capitulare (c), *unde census ad partem regis exire solebat, si ad aliquam ecclesiam traditae sint, aut reddantur propriis heredibus, aut qui eas retenuerit, illum censum persolvat*. Ex quo & aliis capitularibus constat, fuisse tum praedia libera ab oneribus publicis, eaque si adiiciebantur ecclesiis, pristina fruebantur immunitate, quod recte Thomassinus observat (d).

Quae ecclesiastica bona a servitiis dominorum exemta.

§. VI. Verum enimvero immunitas ecclesiis in capitularibus concessa praecipue spectabat tributa, quae regibus pendebantur: nam quod spectat onera senioribus debita in agrestibus ecclecle-

(a) *Lib. VI. capitul. cap.* 107. (b) *Capitul. lib. II cap.* 16, *seq.* (c) *Capit. lib. III. cap.* 86. (d) *Thomass. par. III. lib.* 1. *cap.* 36. *n.* 7.

clesiis, tantum *mansus*, decimae, oblationes; domus & hortus fruebantur immunitate, & si quid ultra illae haberent, consuetis oneribus subdebatur, quod unum Caroli M. capitulum saepe confirmatum edicit (*a*). *Mansus* erat certus agri modus, a manuendo fortasse dictus, quod quisque colonorum cum familia sua in eo moraretur (*b*). Ubi singulis ecclesiis certi redditus perpetuo addici coeperunt, placuit, ut unus mansus cum decimis & oblationibus esset velut sacratior ecclesiae dos, unde presbyter posset sustineri. Jam erant constituta feuda, & seniores, qui erant domini vicorum a praediis & incolis multa exigebant onera, quae tum *servitia* dicebantur: erantque servitia ista *annui census, xenia, pastus, paraveredi seu caballorum saginationes*, ut synodus Trosleiana expressit (*c*). Quoniam vero a servitiis, quae dominis debebantur, aequum non videbatur generalem ecclesiis agrestibus concedere immunitatem: principes agri modum, qui veluti dos paroeciae habebatur, & praeterea decimas, oblationes, domum & hortum a servitiis exemerunt, non si quid ultra ecclesiae possiderent (*d*). *Et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant*, inquit citatum Caroli M. capitulum. Quapropter hac aetate meliori conditione erant urbanae, quam agrestes ecclesiae: illae enim, quod in civitatibus nulli

(a) *Capit. reg. Francor. lib. I. cap.* 91. *& lib.V. cap.* 45. (b) *Conf.Cangius v.* mansus. (c) *Conc. Trosleian. an.* IↃCCCIX. *cap.* 6. (d) *Conf. Thomassin. par. III. lib.* 1. *c.* 36.

erant feniores, generali fruebantur immunitate; hae vero etiam erant immunes a regum vectigalibus; at quod fpectat fervitia dominorum eximebantur tantum manfus, decimae, oblationes, domus & hortus, non fi quid amplius haberent.

Saeculo XII bona ecclefiae ab omnibus oneribus exemta.

§. VII. Conceffa ex forma capitularium bonis ecclefiarum a tributis immunitas in Gallia, Italia & reliquis Occidentis provinciis diu ftetit; at poft faeculum X fenfim latius producta eft, adeo ut omnia paroeciarum bona etiam a fervitiis dominorum exemta evaferint. Interim quidam civitatum rectores extraordinariis & infolitis oneribus ecclefiarum bona gravare coeperunt. Hinc fynodi Lateranenfis fub Alexandro III & Innocentio III generalem immunitatem rebus ecclefiarum confirmarunt, & infolita onera excufferunt, excomunicationis poena comminata, nifi in publica neceffitate, aut utilitate ipfi clerici fymbolas fponte conferrent (a). Jam coeperant epifcopi in fuis conventibus veluti jure proprio de exemptione ecclefiarum a tributis ftatuere contra morem vetuftatis, qua quidquid ejus rei erat a principibus ftatuebatur, aut expetebatur (b), & ex forma legum civilium, aut affenfu principum inde canones condebantur.

Bona clericorum an a tributis exemta?

§. VIII. Porro poft faeculum decimum fynodi particulares etiam jure veluti proprio bona cle-

(a) *Cap. IV. & VII. ex. de immunit. ecclef.*
(b) *L. XV. C. Th. de epifcop. & cleric.*

clericorum patrimonialia a tributis eximere studuerunt. *Non liceat laicis*, inquit synodus Melphitana sub Urbano II (a), *exactionem aliquam pro ecclesiae beneficiis aut paternis maternisve facultatibus quaerere*. Idemque etiam synodi Narbonensis anno CIↃCCXXVII & Tolosana anno CIↃCCXXIX statuerunt (b). At canones isti populorum moribus recepti non videntur, quod constat Friderici II testimonio, quod mirum est, neminem, quod ego sciam, ad illustrandam hujus temporis exemptionum ecclesiasticarum historiam produxisse. Expostulabat Gregorius IX, quod Fridericus contra formam pacis tributa ecclesiis & monasteriis imposuisset; cui crimini ita imperator respondit: *talliae & collectae clericis & personis ecclesiasticis non pro ecclesiasticis rebus, sed pro feudalibus & patrimonialibus imponuntur, secundum quod est jus commune, & obtinet ubique per orbem* (c). Nomine *talliarum* veniebant praestationes sive tributa, sic dicta a taleis seu taliis, quae erant latercula lignea, in quibus solutiones solebant adnotari, parte altera penes dominum, altera penes tenentem remanente (d). Itaque saeculo decimotertio omnia ecclesiarum non feudalia bona tributis erant exemta, non item bona privativa clericorum, quae tum ex jure communi, quod ubique servabatur, fiscalibus omnibus oneribus

fube.

(a) *Conc. Melphit. can. XI.* (b) *Conc. Narbon. can. XII., Tolosan. can. XX.* (c) *Ap. Matth. Parisiens. ad anno CIↃCCXXXIX.* (d) *Conf. Cangius v.* tallia.

ſuberant. Et errant profecto qui tenent, canones Lateranenſes de immunitate a tributis etiam bona privata clericorum comprehendiſſe: bona enim *eccleſiarum & clericorum & pauperum uſibus deputata*, de quibus illi ſtatuunt, ſunt bona eccleſiaſtica, non clericorum patrimonialia (*a*).

Leges regni noſtri de immunitatibus clericorum.

§. IX. Quod vero ſpectat ad Apuliae regnum eccleſiarum privata bona, non ſecus ac in aliis provinciis, generatim a tributis exemta ſunt: at non item bona privata clericorum, quae ſub Friderico II ordinariis & extraordinariis collationibus ſubjecta fuiſſe videntur, donec reges Andegavenſes eis pro parte conceſſerunt immunitatem. Sane Carolus II clericis, *qui clericaliter* vivebant conceſſit, ut nulla omnino tributa inferrent *nec pro bonis eccleſiaſticis, nec pro patrimonialibus de portionibus eos legitime contingentes* (*b*). Bona clericorum patrimonialia procul dubio erant, quae ipſi clerici tamquam privati domini poſſidebant: at bonis iſtis conceſſa a Carolo immunitas generalis non erat, ſed ſpectavit ſolas *portiones eos legitime contingentes*, illas nempe, quae clericis ex adgnatorum & cognatorum legitima ſucceſſione obveniebant: nam quae teſtamento ſive contractibus adquiruntur, *portiones legitimae* proprie dici poſſe non videntur. Quod jus regno ad Aragonenſes translato, integrum ſtetit: & praeterea cavit Ferdinandus I, ut

(a) *Cap. IV. ex de immunit. eccleſiar.* (b) *Cap. item ſtatuimus XCVIII.*

I, ut quae bona semel certo onere designata erant, semper illud exsolverent, licet clerici ea titulo alienationis a laicis adquirerent (a): quod jus aequissimum erat, & juri Romano & capitularibus regum Francorum conforme. Nimirum ex quo Alphonsus I Aragonensis conventione habita cum regni universitatibus quotannis ab eis certam pecuniae summam exigere coepit, pleraeque universitates censum soli imposuerunt atque ita civium bona certo oneri subjecta sunt aequumque erat, ut semel censita bona cum onere suo transirent.

Jus nostrum novissimum.

§. X. Sic constituta legibus nostris ecclesiarum & clericorum a tributis immunitas labentius annis latius extensa est: nam ecclesiae in dies censita bona adquisiverunt, unde non amplius onera soluta, & clerici curis suis publica onera a privatis suis bonis quocumque titulo quaesitis excusserunt; immo non defuerunt clerici, qui per summam injustitiam aliena juga nomine suo suscipiebant, & a tributis excusabant. Hinc vetera & nova onera in laicos eorumque bona, quae in dies decrescebant, rejecta. Quibus malis medendis tandem incubuit Carolus olim rex noster, qui tractatu habito cum Benedicto XIV summo pontifice ad formam non adeo gravem ecclesiarum & clericorum exemtionem a tributis reduxit. Principio placuit, ut bona ec-

---

(a) *Prag. III. de clericis seu diaconis selvaticis. Conf. prag. II. eod. sub finem.*

clesiarum, monasteriorum & aliorum locorum religiosorum in censu describantur, eorumque nomine penderetur dimidium ejus, quod laici pensitant, detractis tamen oneribus, quorum numero pensonarum alimenta non veniunt: id, que prestari placuit, quousque regni necessitates expostulent, & pro oneribus, quae tempore tractatus erant imposita, non quae deinceps imponerentur (a). Sed ab hac pensitatione immunia facta sunt bona beneficiorum, quorum titulo clerici ordinantur, pro ea tamen redituum quantate, quae sacro patrimonio secundum dioecesis formam respondet, & praeterea bona paroeciarum, seminariorum & xenodochiorum (b). Porro si quae bona a die tractatus habiti ecclesiae & alia loca religiosa adquisierint, per omnia in perpetuum tributis subjecta sunt (c). Item bona privata clericorum non secus ac laicorum tributis omnibus subjecta sunt, praeter bona illa, quae clericis sine beneficio ordinatis in patrimonii titulum solent adsignari; haec enim bonorum portio a die, quo clerici hypodiaconi creantur, ab omnibus oneribus exemta est, sed pro quantitate, quam intra vigintiquatuor & quadraginta ducatos annuos synodi locales aut episcopi definiunt (d). Et demum certa forma statuta est immunitatibus, quae a vectigali ab universitatibus super tritico aliisque rebus ad victum necessariis exigi solito, clericis concedebantur (e).

Ec-

(a) *Concord. cap. I. n.* 1. 2. (b) *Concord. n.* 3.
(c) *Id. n.* 5. (d) *Id. n.* 6. *seq.* (e) *Id. n.* 10. *seqq.*

Ecclesiae pendebant regibus annua dona.

§. XI. Quamvis autem inde usque a Carolo M. bona ecclesiarum & monasteriorum ampla a tributis immunitate aucta sint; tamen ex iisdem bonis in regia aeraria, aut in regum commodum aliis nominibus tantumdem, aut fortasse plus inferebatur, quantum ex tributis colligi poterant. Principio ecclesiae & monasteria saepe regum dono & episcoporum conniventia militibus in feudum, aut commendationem concessa sunt, eorum reditus loco stipendiorum militibus cederent (*a*). Qua in re satius omnino fuisset ordinarias & superindictas illationes a praediis ecclesiarum erigi, quam eas in feudum militibus aliisque laicis addicere. Praeterea sub regibus Carolingicis recepta erant *annua dona*, quae ab episcopis & multis monasteriis quotannis regibus erant exhibenda. Quae quidem dona quamvis forte initio sponte oblata sint, tamen deinceps in necessitatem abierunt, & a tributis tantum nominis sono distabant. *Caussa suae defensionis*, inquit Hincmarus Rhemensis (*b*), *regi ac reipublicae vectigalia, quae nobiscum annua dona vocantur, praestat ecclesia, servans quod jubet apostolus: cui honorem, honorem; cui vectigal, vectigal praestate regi ac defensoribus vestris*. Et inde Ludovicus II imperator inquisitionem faciendam edixit, *unde, vel quae dona annalia, aut tributa publica exigi debeant* (*c*): quod

(a) *Conf. Jo. Filesacns de sacrilegio laico*.

(b) *Hincm. de ordine palatii*. (c) *Capitul. editum a Muratorio in legibus Longobard.*

quod scilicet in aerarii statos reditus annua dona censerentur. Consistebant autem dona ut plurimum in *aqueis*, *lanceis*, *scutis* aliisque similibus speciebus: eorumque quantitas satis magna videtur fuisse: refert enim Arno monachus, annuis donis & militia adeo gravata fuisse nonnulla monasteria, ut monachis alimenta & vestiarium defuerint (*a*).

Ecclesiae exhibent etiam extraordinaria subsidia.

§. XII. Praeter annua dona si quando reipublicae necessitas postularet, ecclesiae ex suis bonis symbolas conferre consueverunt, atque ita extraordinariis illationibus adjutorio esse civitati. Quod profecto erat aequissimum, etenim nisi salva civitate ecclesia incolumis esse non potest, praesertim ubi ecclesiarum bona supra modum creverant, & nullis tributis subdebantur. Videntur autem ista subsidia saepe indicta ipsius civilis potestatis imperio. At quoniam ultra modum rectores quidam civitatum saeculo XII ecclesias & clericos pensitationibus gravabant, synodus Lateranensis sub Alexandro III ab ecclesiastica communione excidit consules & rectores civitatum, qui ecclesiis onera imponerent, edixitque, ut deliberet episcopus cum suo clero, an suadeat utilitas, an jubeat necessitas, de rebus ecclesiae aliquid in communes civitatis usus conferendi; & tum si laici ipsi non possint, subsidia ab ecclesiis praestentur, sed nulla vi, nulla laicorum interposi-

ta

(a) *Arno in vit. S. Benedicti Anianensis.*

ta auctoritate (*a*). Inde quod plus aequo faciles visi sunt episcopi ad adgnoscendas publicas necessitates, aut quod principum postulatis vix potarant resistere, statuit Innocentius III in concilio generali, *ut prius consulatur Romanus pontifex, cujus interest communibus utilitatibus providere* (*b*). Igitur si recte capio, voluit Innocentius, ut antequam episcopus & clerus subsidiis adsentiantur, pontifex Romanus suam interponat auctoritatem. Utrumque hoc decretum moribus ejus aetatis erat accommodatum, quando jura summorum imperantium in bona ecclesiarum & clericos oblanguescebant & ecclesiarum pastores posthabita spiritualium cura etiam de necessitatibus publicis judices sedere non dubitabant. Interim occasione decreti Innocentiani saepe pontifices posthabito episcopi & cleri consensu subsidia principibus concesserunt. At in Gallia jampridem reges sine pontificis assensu collectas sub nomine *doni gratuiti* bonis ecclesiasticis exigere consueverunt: quin dona ista gratuita, *decimae* alias dicta, evaserunt ordinaria & quotannis pendi solent.

(a) *Cap. IV. ex. de immunitatib. ecclesiar.*
(b) *Cap. VII. ex. eod.*

FINIS SECUNDAE PARTIS.